



LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921


IACOBI PHILIPPI
TOMASINI
PATAVINI
Illustrium Virorum
ELOGIA
Iconibus exornata
PATAVIVM REGIA CIVITAS

# IACOBI PHILIPPI
## TOMASINI PATAVINI
### ILLVSTRIVM VIRORVM
# E L O G I A
## I C O N I B V S  E X O R N A T A

*ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.D.*

*I O. B A P T I S T Æ  A G V C C H I Æ*
*Archiepiſcopo Amaſienſi, & Apoſtolico Nuncio*
*Venetijs pro Santiß. D. Vrbano VIII.*
*D.*

---

P A T A V I I,
Apud Donatum Paſquardum, & Socium.
M D C X X X.

---

*Superiorum Permiſſu.*

Di Luig. Bodegari 1818.




ILLVSVRISS. ET REVERENDISS.

# D. IO. BAPTISTÆ AGVCCHIÆ

Archiepiſcopo Amaſienſi, & Apoſtolico Nuncio Venetijs pro Santiſſimo D. Vrbano VIII.

*Iacobus Philippus Tomaſinus.*

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Domine.



AMplitudini tuæ Elogiorum noſtrorum Opus conſecratum in lucem prodire geſtit. Olim enim ſub feliciſſimis nominis tui auſpicijs natum, te Iouem ſuum primo in limine iure meritò conſalutat. Cui verò aliorum Elogia debeantur magis, quàm Tibi Elo-

giorum

giorum Ideæ, Præsulum Gloriæ, Decori Principum, Literatorum omnium Mecœnati? ex virtutum tuarum radijs aliorum laudes excerpsi: ex tuis dotibus alios didici celebrare. Vnus enim multorum præstantiam æquas, multorum longo superas interuallo. Eâ re multorum instar, inter otia suauissima literarum modo proprijs virtutibus Ecclesiam illustrasti; modo Petri Aldobrandini, S. R. E. Card. à Secretis, & Maiordomus, actiuæ Vitæ clarissimum specimen edidisti: modo Aldobrandino defuncto, Cardinali Ludouisio pari cum onere, & honore æquè feliciter adfuisti: modo GREGORIO XV. Sum. Pont. à Secretis Principum, totâ Romanâ Curiâ admirante, toto Terrarum orbi notissimus effulsisti. Nihil sanè tunc temporis in arduis eius ætatis rebus pertractandis, vbiquè sæuiente grauissimo bello, Sacer Purpuratorum Senatus optabilius desiderare potuit Te vno, qui cuncta felicissimo exitu clausisti. Obis nunc summâ tuâ cum laude Legationem Venetam, Ecclesiæ Romanæ nomine, eâ sollicitudine, vt in Tui vnius diligentiâ, & fide VRBANVS

VIII.

VIII. Pontifex conquiescat. Faxit Deus Opt. Max., vt sicuti Cardinalis vnius Nepos, alterius Frater audis, Romanâ citò purpurâ decoratus ob merita, eandem exornes, & Ecclesiæ toti colluceas in Vrbis illius Orbe, quæ meritò Terrarum, ac Gentium Domina nominatur. Pignus hoc interim meæ Tibi addictissimæ voluntatis excipiat Humanitas tua, perenne mei ergà te cultus, & obsequij monumentum, quod Amplitudini tuæ post osculum sacrarum vestium appendo in votum. Vale, seròquè Terris intersis perpetuò felix.

Patauij Antenoris Kal. Octobris CIↃ. IↃC. XXIX.

LECTO-



# LECTORI BENEVOLO.



Abes, *Humanissime Lector,* VIRORVM ICONES *pro posse ex ipsis probis exemplaribus excerptas, quas vna cum eorumdem Elogijs euulgandas duxi. His breui, genuinoque stylo insigniora illorum facinora consignaui, & , vt apud Antiquitatum Studiosos gratiam inirem aliquam,* MEMORIAS, & EPITAPHIA *adieci, nec Operum, quæ bono publico publicarunt, si non omnium, eorum saltem, quorum ad me notitia peruenit, meminisse piguit. In Elogijs multa prætermissa sunt, ne Historiam texerem. Visum est autem* NVMISMATA *quædam adiungere, ne temporum iniuriâ penitus interirent. In Musæolo nostro Philosophorum, Antistitum, Oratorum, necnon & Mathematicorum quorumdam, vt in Pauli Tomasini Fratris I. C. & Actoris caussarum, Iuristarum aliquot mul-*

*tis*

*tis ab hinc annis collocata* STEMMATA *effecêre, vt cum tantorum Virorum Imagines ob oculos, Opera præ manibus haberem, ſua iiſdem Elogia concinnarem, vt quorum oculi pictâ ſpecie delectantur, eorumdem etiam mentes recrearentur verâ rerum præclarè geſtarum narratione. Nullus ob id queri ſe prætermiſſum, vel indictum debet, non alios laudamus. Acceßêre præſtantes aliquot Æui Noſtri Viri, qui mihi familiaritate vel amore coniuncti, vel de Patriâ noſtrâ benemeriti, inuoluendi ſilentio nequaquàm erant, vt hoc ſaltem officio bonis eorumdem Manibus aliquid voluptatis afferrem. Quidquid id eſt Operis, Humaniſſime Lector, libens lubens excipito, & altiora, ſi gratum id accidiſſe ſenſero, expectato.*



MA-

MAGNIS

# HEROIBVS

IACOBI PHIL. TOMASINI.

calamo celebratis.

*FELIX OSIVS.*

ILlustres HEROVM Animæ, quas intulit astris
Ingenij vis dia sacri, simul empta labore
Fama iugi, Virtutis amor, sata Gloria scriptis,
Et meritis quæsitus honos, quæ causa beatas,
Quas colitis sedes, æternaque limina Diuûm
Linquere, & altrices præferre nitentibus astris
Curarum indecores terras, loca septa tenebris
Visere perpetuis, post inclyta fata, coegit?
Tantus amor, tantinè animis cælestibus ignes,
Tanta sitis nostræ visendi funera gentis,
Præliaque, &, toto quæ Mars ciet efferus Orco,
Semina bellorum, post otia mitis Olympi,
Ambrosięque dapes, & pocula nectaris? Orbem
Ecce iterûm reduces spectatis lumine blando,
Nec spectasse semel satis est, iuuat vsquè tueri,
Vsquè, ac vsquè, Poli immemores, superiq; recessus.
ILLVSTRES saluete ANIMÆ, saluete recepti
HEROES Cælo, superæ modò sydera sedis,
Sydera nunc nostræ. Viuos in imagine vultus
Cerno equidem, nec vana fides, animosquè latentes,
Et Genus, & Patriam, Numismata, Symbola, Scita,
Scriptaquè mansuris æternùm credita chartis,
Et Genium, cui quisquè sacer, dum vita manebat,
Et Tumulum, tumulique notas, præconia laudum,
Pal-

Palladias artes, parnaſſia ſerta, Lycæi
Munia, quiſquè ſibi quidquid venatus honorum eſt,
Quidquid opum. Cui tanta VIRO permiſſa poteſtas,
Siſtere Cælicolas terris, deducere cælo
Numina, vitali defunctos lumine luci
Reddere poſt cineres, & funera caſca Nepotum ?
Hæc calamo, TOMASINE, tuo permiſſa poteſtas,
Quo potis HEROAS ad ſydera tollere MAGNOS,
Et reuocare Polo, ſuperiſque accerſere regnis,
Quum lubet, & noſtris ſpectandos ſiſtere in oris.
TV, fera quot Patauis Mors Ciuibus abſtulit annos,
Reſtituis: Doctos, quos funere merſit iniquo
Vis eadem, curſu volitare per ora perenni.
Cuncta facis: per TE viuunt poſt funera Amici,
Et quæſtu Libitina ſuo caret ægra, doletque
Miſceri Diuis, ſuperaſquè euadere ad auras
Victores, quos ipſa ſuis inuoluerat vmbris,
Abdideratquè Chao. Vitæ melioris honores
Per TE quiſquè refert defunctus lumine vitæ,
Inque tuis annat ſcriptis, TOMASINE, perannat,
Æternæ per TE nactus præconia famæ,
Æternum decus, æternum per ſæcula nomen.
Macte iſtâ Virtute potens, Iubar orbis amicum,
Cælicolis, TOMASINE, Caput: ſic itur ad aſtra,
Viuitur his meritis. Veniens venerabitur ætas
Ingenij monumenta tui, monumenta Leporis; (tur.
Teq; PIVM, DOCTVMQ. ſimul ſeclũ omne loque-
Non omnis moriere. Paris qui millibus vnus
Extinctis vitam, viues pro millibus vnus
Spicula poſt Mortis, calami virtute ſuperſtes
ALME tui, Pietate tuâ, Pietate Nepotum,
Quà micat exoriens, quà deficit occiduus Sol.

# VIRI ILLVSTRES quibus Elogia integra concinnata ſunt.

A

AEMILIVS CAMPOLONGVS. 204
ALBERTINVS BOTTONVS. 145
ALEXANDER MASSARIA. 166
ALEXANDER FORTECIA. 253
ALEXANDER TERENTIVS. 329
ALEXANDER BORROMÆVS. 332
ALEXANDER CARRERIVS. 363
ALOYSIVS BELLACATVS. 63
ALOYSIVS CORRADINVS. 282
ANGELVS BEOLCVS, RVZANTES. 31
ANGELVS MATTHÆACCIVS. 197
ANGELVS SAXVS. 303
ANTONIVS NIGER. 357
ANTONIVS LEO. 372
ARSENIVS MERIVS. 373

B

BARTHOLOMÆVS VLIARIVS. 26
BARTHOLOMÆVS SYLVATICVS. 210
BERNARDINVS TOMITANVS. 66
BERNARDINVS SCARDEONIVS. 129
BERNARDINVS TRIVISANVS. 133
BERNARDINVS PATERNVS. 151

CVR-

C
CVRTESIVS CVRTESIVS. 310
D
DOMINICVS TVSCVS. 321
F
FRANCISCVS ZABARELLA. 3
FRANCISCVS FRIGIMELICA. 51
FRANCISCVS PICCOLOMINÆVS. 208
FRANCISCVS VIDVA. 268
FRANCISCVS PIGNA. 311
FRANCISCVS POLA. 344
G
GABRIEL FALLOPIVS. 42
GALEOTVS FERRVS. 263
GEORGIVS RAGVSÆVS. 338
GVIDVS PANCIROLVS. 187
H
HERCVLES SAXONIA. 230
HIERONYMVS CAGNOLVS. 37
HIERONYMVS CARDANVS. 55
HIERONYMVS CAPIVACEVS. 96
HIERONYMVS MERCVRIALIS. 155
HIERONYMVS NIGER. 194
HIERONYMVS FABRICIVS AB AQVAPENDENTE. 314
HORATIVS AVGENIVS. 214
I
IACOBVS ZABARELLA. 136
IACOBVS MENOCHIVS. 237
IACO-

IACOBVS GALLVS. 307
IOANNES CEPHALVS. 70
IOANNES STADIVS. 113
IOANNES TAISNERIVS. 161
IO. ANTONIVS MAGINVS. 283
IOSEPHVS MOLETIVS. 108
IVLIVS CASSERIVS. 337
IVLIVS ZABARELLA. 342

L

LVDOVICVS MEDIAROTA. 13

M

MARCVS ANTONIVS GENVA. 100
MARCVS ANTONIVS PEREGRINVS. 277
MARCVS MANTVA. 118
MARCVS ODDVS. 143
MARTINVS NAVARVS. 79

N

NICOLAVS SANGVINACCIVS. 304
NICOLAVS DE ODDIS. 359
NICOLAVS PASSERA. 257

O

ODDVS DE ODDIS. 47
OTTONELLVS DISCALTIVS. 216

P

PAVLVS BENIVS. 350
PAVLVS GVALDVS. 326
PAVLVS TOMASINVS. 105
PETRVS APONENSIS. 21
PROSPER FARINACIVS. 272

RVDVL-

R
RVDVLPHVS SFORTIA. 247
S
C. SCHINELLA COMITIVS. 369
SPERONVS SPERONIVS. 86
T
TIBERIVS DECIANVS. 74
TICHO BRAHE. 243
TORQVATVS TASSVS. 170
V
VALENTINVS NAIBODA. 181



## Errata sic Corrigantur.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Pag. 5 | lin. vltima | *laudatur* | *laudantur* |
| 6 | 13 | *consilio* | *concilio* |
| 7 | vlt. | *consilio* | *concilio* |
| 16 | vlt. | *remissit* | *remisit* |
| 27 | 4 | *dignitatem* | *dignitatum* |
| | vlt. | *amplicanda* | *amplificanda* |
| 31 | 21 | *Lombardla* | *lombardia* |
| | 21 | *Bacchaniliorum* | *Bacchanaliorum* |
| 31 | 21 | *in lingua* | *lingua* |
| 80 | 2 | *interpretando* | *interpretandum* |
| 119 | 15 | *nempe IV* | *nempe V.* |
| 140 | 6 | *imposita* | *impositi* |
| 142 | 9 | *accrectione* | *accretione* |
| | 10 | *Domi* | *Domui* |
| 156 | 22 | *Seren.* | *à Seren.* |
| 160 | 11 | *Gugielmi* | *Gulielmi* |
| 166 | 23 | *amplimæ* | *amplissimæ* |
| 194 | 19 | *quàm* | *quem* |
| 166 | 5 | *coluit* | *voluit* |
| 198 | 1 | *Montagnæ* | *Montagnanæ* |
| | 14 | *perfulsit* | *præfulsit* |
| | 17 | *dilectus* | *dilectum* |
| 208 | 5 | *mirandus* | *mirande* |
| 212 | 14 | *absolustissimis* | *absolutissimis* |
| 216 | 6 | *nostræ. Cui* | *nostræ, cui* |
| 235 | 16 | *dignos* | *dignis* |
| 235 | 2 | *HIC* | *deleatur* |
| 247 | 10 | *Hipotesem* | *Hypothesem* |
| 257 | vlt. | *munis* | *munijs* |
| 272 | 10 | *decerneretur* | *discerneretur* |
| 283 | 14 | *obnuit* | *obtinuit* |
| 308 | 5 | *perlectiones* | *prælectiones* |
| 309 | | *VNO in Numismate* | *VNI* |
| 310 | 14 | *DAPHNIS* | *DAPHNIDIS* |
| 326 | 17 | *esti* | *etsi* |
| 333 | 2 | *assidus* | *assiduus* |
| 345 | 2 | *FRANCISCVS* | *FRANCISCVM* |
| | 4 | *FRANCISCVM* | *FRANCISCVS* |
| 353 | 3 | *EX* | *ET* |
| 354 | 7 | *Rethoricum* | *Rethoricorum.* |
| 11 | | *excepta* | *excerpta* |
| 360 | 8 | *Opuscolorum* | *opusculorum* |
| 363 | 14 | *commissio* | *commisso* |

FRAN-



ALBERTINVS BOTTONVS PAT.
PHILOSOPHVS, ET MEDICVS







FRANCISCVS ZABARELLA

*I. C. Pat. S. R. E. Cardinalis &c.*

# FRANCISCVS ZABARELLA

PRIMO in limine iure primus nostræ Ciuitatis Ciuis, & Athenæi Decus conspicitur. Is fuit FRANCISCVS ZABARELLA S. R. E. Cardinalis, Pontificio, ac Cæsareo Iure; nec non dicendi facultate adeò insignis, vt meritò inter æui sui Oratores, Iurisperitos, & Ecclesiæ Antistites principem obtinuerit locum. Hic dictis, & scriptis Ortodoxam Catholicæ Fidei doctrinam aduersus impijssima Ioannis Hus dogmata acerrimè propugnauit. Florentiam vocatus Ius Canonicum explanauit, ibiquè ob vitæ sanctimoniam, ac doctrinæ præstantiam ab illius Reip. Proceribus ad Archiepiscopatus dignitatem conclamatus est; quam progressu temporis adeptus, prouinciam sibi commissam sanctissimè rexit. Interim verò in Patrio Gymnasio primam sedem Sacrorum Canonum explicandorum obtinuit, quo in munere obeundo variâ lectione animos studentium demulcebat. Eo verò tempore, Carrariensium familiâ extinctâ, Conciues omnes miro consensu illi deferendi pa-

triæ Ciuitatis claues, vnàquè faciendæ deditionis eius Sereniss. Reip. Venetæ, prouinciam commisêre. Mox in Cathedrali Patauinâ Ecclesiâ Archipresbyteratus honore insignitus, pauperum incommodis mirâ subueniebat liberalitate. Defuncto verò tum Episcopo Patauino, dùm Canonici cunctis votis illum vnum conspiciunt, voluntati Reipub. morem gerens, oblatam electionem defugit. Quâ animi integritate commotâ Respublica, opulentissimam Abbatiam S. Mariæ de Prataleâ, Monachorum incuriâ àb eorum Cœnobio aliò deuolutam, illi consignandam curauit; quam tamen, elapso modici temporis curriculo, ijsdem Monachis pientissimus Pater summâ liberalitate donauit. cuius ergò apud illos in tàm insignis benefitij memoriam, & eius sacræ Sacerdotales vestes in hanc vsquè diem seruantur, & extant monumenta, in quibus, tùm in eorumdem Ecclesiâ, tùm in Turri sacrâ, tùm in Templo S. Vrbani propè plateam vinariam Patauinæ Ciuitatis eius Stemmata conspiciuntur. Tandem Romam vocatus à IOANNE XXII. Summo Pontefi-

ce,

ce, & Archiepiſcopus Florentinus olim electus confirmatur, & poſteà, pro laboribus in oppugnandâ hæreſum prauitate ſuſceptis, in Sacrum Patrûm purpuratorum Senatum adſciſcitur. Mittitur indè ad SIGISMVNDVM Imperatorem Legatus, acturus apud ipſum de Conſtantienſi Concilio, vt pernitioſiſſima illius Seculi ſchiſmata tollerentur: vbi & res in longùm diù protractas feliciter, ac prudentiſſimè concluſit, & Concilio conuocato Pontificis vices geſſit. Vndè omnium conſenſu Summus Pontifex dictitatus, re quoquè ipsâ deſignatus fuiſſet, nî Deus Opt. Max. ipſum in Cœlum, ibi ſatiùs Eccleſiæ ſuæ profuturum, euexiſſet. Conſtantiæ extinctus eſt, anno CIↃ. CCCC. XVII. VIII. Idus Nouembris máximo omnium mærore. Sancta Synodus pias eius inferias celebrauit: cohoneſtanteque SIGISMVNDO Imperatore funeris pompam, Poggius Florentinus funebri oratione eum exornauit. Propter multiplicia Opera in Iure Ciuili, & Pontificio conſcripta ſub CARDINALIS nomine à Iuriſperitis laudatur. Eius oſſa in Cathedrali Patauinâ, in delu-

delubro ab ipsomet D. Mariæ dicato, sublimiori in loco sita, huiuscemodi memoriâ decorantur.

## FRANCISCO ZABARELLÆ

*Florentiæ Archiepiscopo Viro Optimo, Vrbi, atquè Orbi gratissimo, Diuini, Humaniquè iuris Interpreti præstantissimo, in Cardinalium Collegium ob summam Sapientiam cooptato, ac eorumdem animis Pontifici propè Maximo,* IOANNE *XXII. eius suasu abdicato antè* MARTINVM *Quintum, ob singularem probitatem in Constantiensi Consilio destinato.*

*I*OANNES, *I*ACOBI *Viri Clarissimi filius, id monumenti ponendum curauit.*

*Vixit annos* LXXVIII. *Obijt Constantiæ M.* CCCC. XVII.

Variè, & mendosè à varijs affertur hoc Monumentum. Patauinæ fęlicitatis auctor pro *cooptato*, legit *coaptato*: *Eorum animis*, pro *Eorundem animis*. Franciscus Svvertius in Delitijs Orbis pro *eius suasu*, perperàm scripsit,

*eius*

*eius Senatu*, pro *Ioanne* XXII. *Ioanne* XXIII: Etsi Ioannes iste modo XXI. modo XXII. modo XXIII. fuerit appellatus, vt ex Elogijs Panuini liquet, & ex Alphonso Ciaconio pag. 856. *Iste Ioannes XXII. dictus est XXIII. quî Balthassar Cossa anteà vocatus, anno* CIↃ.CCCC. X. XVI. *Kal. Iunij successit Alexandro V. Bononiæ vitâ functo.*

Conciues Patauini pro tanti Viri memoriâ in magnâ Gigantum Aulâ, propè atrium Præfecti eiusdem EFFIGIEI monumentum istud alterum, auctore Hieronymo Cauatio, votis concordibus erexêre.

## FRANCISCVS ZABARELLA

*Patauinus, Christianæ Reipub. Tutor, Cardinalis meritò creatus, suis immortalibus Commentarijs, quæ in manibus sunt, Iuris Pontificij Ænigmata, nodosquè soluit. Cùm omni virtute, tùm vitæ integritate admirandus Religionem nostram discordijs Præsidum nutantem Consilio Basiliensi in pristinam sedem restituit,*

*quò*

*quò omnium consensu Pontifex destinatus, octogesimum ætatis annum agens humanis excessit.*

Hoc Monumentum corrigendum est, & pro BASILIENSI *Concilio* CONSTANTIENSI, reponendum, cum Concilium Basiliense post Constantiense, in quo obijt Cardinalis ZABARELLA noster, non nisi anno CIↃ. CCCC. XXXI. Summi Pontifices coegerint, vt in Cronologiâ Ecclesiasticâ Onufrij Panuinij videre est: Et pro anno octogesimo ætatis suæ, legendum est, LXXVIII.

Scripsit.

Scripsit.

*Commentariorum in Decretales, & Clementinas. Tom.* VI.
*Commentarios in Naturalem, & Moralem Philosophiam.*
*De Horis Canonicis.*
*De Schismate.*
*Sui temporis Historiam.*
*De Felicitate libros III.*
*Consiliorum Tomum I.*
*In Decretum.*
*Varias legum Repetitiones.*
*In Vetus, & Nouum Testamentum.*
*Opuscula de Artibus Liberalibus.*
*De Natura rerum diuersarum.*
*Acta in Concilijs Pisano, & Constantiensi.*
*Volumen Orationum, & Epistolarum variarum.*


E quibus extat apud me Oratio, quâ habitâ, Sereniss. Reip. Venetæ cum XVI alijs Ciuibus Patauinis Vrbis nostræ Claues detulit, Sceptrum, Vexillum, & Sigillum hoc carmine insignitum.

*Muso, Mons, Athesis, Mare certos dant mihi fines.*
Item Orationes aliæ duæ funebres in Obitu FRANCISCI de Carrariâ, & ARCVANI Buzacharini.

Huius amplissimi CARDINALIS nostri Epicherema tale fuisse fertur, quale subijcio.







LVDOVICVS MEDIAROTA
PATAVINVS S.R.E.CARDINALIS

# LVDOVICVS MEDIAROTA

PAullùm adhuc in veſtibulo hoc ſiſtite, qui hic adeſtis, & in alterum Purpuratum mentis aciem erigite. Admirabimini, ſcio, Effigiem LVDOVICI MEDIAROTÆ Patauini, S. R. E. Cardinalis ampliſſimi, ac Patriarchæ Aquileienſis numeris omnibus abſolutiſſimi, qui humilibus ex primordijs aſſumptus, belliger & fortiſſimus Vir ad ſummos fortunæ apices fuit euectus. Eam vobis antiquitatis ſtudioſis ê latebris erutam tradimus conſpiciendam. Nimirùm ea diligentiſſimè expreſſa eſt ad exemplar delineatum olim in ædibus Viri nobilis, FRANCISCI Leonis, manu excellentis illius æui Pictoris Andreæ Mantineæ Patauini. Effigies EPITAPHIVM ſubiectum habet, & NVMISMA, quod à LAVRENTIO Pignorio Doctiſſimo, & Amiciſſimo Viro obtinuimus. EPITAPHIVM geſta: NVMISMA illius gloriæ celebritatem, & Triumphos bellicos enarrabit. Qui exactioris notitiæ deſiderio teneantur, Bernardinum Scardeonium adeant,

quò

quò illos remittimus non inuiti. Satis enim à nobis actum ducimus, quòd EFFIGIEM eius, & NVMISMA, nec non & MEMORIAM temporum iniuriâ obliteratã, in lucem hominum produxerimus. Visuntur adhuc eius Stemmata Patauij in fronte Ecclesiæ S. Luciæ, & in Domibus Xenodochij S. Francisci. Condidit mirâ quadam eruditione refertas Epistolas, inscriptas Francisco Barbaro compatri suo, quæ in Bibliothecâ suprà laudati Viri eximij PIGNORI, antiquitatum omnium studiosissimi cultoris, extant. Patricius tandem Venetus à Sereniss. Senatu dictus, publico munitus stipendio, vsque ad vltimam senectutem peruenit, in quâ viuere desijt anno Domini CIↃ. CCCC. LXV. III. Idus Martij: Ætatis verò LXIII, & in Ecclesiâ S. Damasi in Vrbe cum hoc Eulogio tumulatus est.

LVDO-

# LVDOVICO MEDIAROTÆ

*PAtauino, Patriarchæ Aquileiensi, Albano. & D. Laurentij in Damaso Cardinali, & Cancellario. Quod animi magnitudine, & singulari præditus prudentiâ, cum rem Romanam multitudine hostium laborantem Legatus ab* EVGENIO *IIII. in splendorem pristinum armis, & victorijs vendicasset, Nicolaum Picinum apud Anglariam profligasset, agrum Picænum à Francisci Sfortiæ dominatu in ditionem Romanæ Ecclesiæ recuperasset, Turcas sub* CALISTO *in naualibus prælijs contudisset, domesticis quoquè virtutibus, Consilio, Grauitate, Continentiâ, plurimis deniquè in omnes bonos Liberalitatis, ac Beneficentiæ monumentis bellicas laudes ornatiores reddisset: Henricus Hunis Archiepiscopus Tarentinus, Pontificis, Sacriquè Senatus à Secretis, Ærarij Apostolici Præfectus tantæ virtutis in lucem reuocandi causâ, quoquè veterem suam in eum obseruantiam hoc recenti pietatis officio testaretur, hoc illi Monumentum, XL. ab eius Morte anno, suâ pecuniâ faciendum curauit Anno salutis* CIↃ. IↃ. V. XII. *Calendas Aprilis.*

*lis. Vixit annos* LXIII. *Menses* IV. *Dies* VIII.

In Academiâ Nouâ, quam DELIAM vocant, erectâ anno CIↃ. IↃC. VIII. pro Equitibus Patauinis, eâ in parte Ciuitatis, quæ Cittadella dicitur, propè Ecclesiam S. Michaelis, auspice ANTONIO FRIGIMELICA, effictus etiam cernitur MEDIAROTA: eidemquè tale positum Elogium legitur, quod subnecto.

## LVDOVICVS AB ARENA MEDIAROTA

*Pietate, an armis insignior nescias. etenim sub* EVGENIO IV. *Pont. Max. copijs summâ cum auctoritate præpositus, Florentinis suppetias ferens, Picinum magni nominis Ducem, Hetruriam deuastantem, post pugnam ancipiti Marte quinquè horas acriter vtrinquè commissam, tandem victoriâ potitus, ad Ducem Mediolani, cuius partes tutabatur, debellatum, ac fractum remissit. Ob id inter Cardinales cooptatus,*

*ptatus, Ecclesiæ Cancell. efficitur. Pluribus vijs Romæ stratis, Ecclesijs in pristinum restitutis, aquæductibus instauratis, tanto splendore & magnificentiâ Cardinalatus dignitatem auxit, vt declarauerit, Cardinales iure inter Principes esse connumerandos. Ad Aquileiæ Patriarchatum promotus, à Venetiarum Principe Venetâ donatus nobilitate, armis Togæ superimpositis,* CALISTO III. *itidem Pont. obtemperans, Turcas circà Belgradum inuadens formidabili prælio disiecit, dipersit, & Constantinopolim aduolare coegit. Quùm præsto esset Rhodijs, numerosam Turcarum classem paucis nauibus fulminis in morem protriuit, ac demersit. Pluribus Ægei Insulis hosti Orientali ademptis, alijs egregiæ Virtutis exprimentis editis, tot patratis facinoribus, tot insignitus victorijs, terra mariquè partis, Magno Pompeio non inferior, incredibili omnium applausu, & acclamatione Romam Victor ingreditur, moritur non moriturus M.* CCCC. LX. *Tanti Viri memoriæ ergò.*

LVDOVICI MEDIAROTÆ NVMISMA.




Adijcitur eiuſdem Stemma tale, quale pictum cernitur ab Andreâ Mantineâ in muro Meridionalis Eccleſiæ S. Luciæ.







PETRVS APONENSIS PATAVINVS
PHILOSOPHVS, ET MEDICVS
CONCILIATOR DICTVS.

# PETRVS APONENSIS.

QVam nunc Tibi, Lector, offero, CONCILIATORIS Effigiem esse vides. Nec ego Dodonæum æs multis te morabor. PETRI enim APONENSIS vitam, animi, & ingenij præstantiam Bernardinus Scardeonius Lib. II. de Clar. Medicis, & Philos. Classe IX. nec non eiusdem præclarissima de re medicâ, ac mathematicâ Opera luculentis encomijs illustrauit. Satis mihi sit, EFFIGIEM eius non ex publicâ statuâ Prætorij; sed ex D. Michaelis Sacello obsoletâ manu pictam, Peritorum consilio deprompsisse, & hic tanti Viri memoriam coluisse paucis, Monumentaquè de illo vetera, tùm in Vrbe nostrâ, tùm alibi reperta, posteris tradidisse.

In

In Museolo nostro sub eius Icone hæc leguntur.

PETRVS APONENSIS

*A rurali loco cognomen auspicatus, Vir Præclarissimus*
*Ingenio, Doctrinâ, Meritis,*
*Æuo infelici, & rudi*
*Felicissimus, ac disertissimus medicus effectus*
*nunc quoquè æternis radijs micat.*
*Cunctarum Naturæ virium indagator*
*abdita Græcæ linguæ latino idiomate*
*assidua praxi, & iugi lectione pollens*
*donauit.*
*Herbarum, lapidum virtute,*
*certo Cæli aspectu, statis horis ac momentis vtens,*
*à Vulgo fascinare homines*
*ferebatur.*
*Arcana Medicinæ artis aperuit,*
*Contraria conciliauit*
*digladiator eximius:*
CONCILIATORIS *nomen,*
*Philosophiam cum Medicinâ,*
*Astrologiam cum Naturali Magiâ arcto vinculo*
*copulans, sortitus est.*
*Ad studia ortus, inter studia obijt, Anno Domini*
*M.* CCC. XVI. *Ætatis.* LXVI.


Extant

Extant hæc alia, quæ sequuntur, in vnâ Portarum Prætorij Patauini, Statuæ eius lapideæ Procerum consensu subscripta.

## PETRVS APONVS

*Patauinus, Philosophiæ, Medicinæque scientissimus, ob idque* CONCILIATORIS *cognomen adeptus: Astrologiæ verò adeò peritus, vt in Magiæ suspicionem inciderit, falsòque de hæresi postulatus, absolutus fuit.*

In Arce Vrbinatum Ducis sub eiusdem Effigie hæc habentur, ex Francisco Svvertio in Delitijs Orbis.



PETRO
APONO MEDICORVM ARBITRO ÆQVISSIMO OB REMOTIORVM DISCIPLINARVM STVDIVM INSIGNE.
FED. P. CVR.

Eius

Eius ossa, varia per loca deducta, tandem in Ecclesiâ S. Augustini quiescunt vllâ absquè memoriâ. Fuit eius Pater Constantius Notarius publicus; qui antè occidentalem portam S. Stephani sepultus est cum hoc tumulo.

CONSTANTIVS DE ABANO
NOTARIVS HIC IACET.

Qui tamen amplius non conspicitur, sed eum se legisse refert Scardeonius.

PETRI APONENSIS NVMISMA.





BARTHOLOMÆVS VLIARIVS
PATAVINVS S.R.E. CARDINALIS

## BARTHOLOMÆVS VLIARIVS

ERant hæc Elogia ferè ſub prælo cum ab amicis Effigies diu mihi fruſtra conquiſita huius eximij Viri Româ mittitur ex Icone, quæ inibi picta cernitur in pariete Clauſtri Patrum S. Franciſci trans Tiberim. Quare ſtatim illam cæteris adijciendam curaui, quod is vir præcipuum Patriæ meæ ornamentum, nec non ęui ſui gloria fuerit, quem nefas omnino ſit ſilentio, tot inter Illuſtria Nomina præterire. VLIARIVS igitur Patauinus honeſtis parentibus ortus, Philoſophię, ſtudijs iam addictus, cum Religioſorum vitæ Sacræ Theologiæ, ac Diuinæ ſcripturæ ſtudio mirificè caperetur, ſpretis illecebris terrenarum rerum, ac celeſtem vitam amplexus, Minorum Conuentualium ad inſtituta contendere cæpit. Sacris ibi Theologiæ, & Diuinæ Scripturæ miſterijs initiatus, vtramquè facultatem publicis in Cathedris profeſſus eſt, poſtquè magiſter creatus eximium ſui ingenij ſpecimen tùm in diſputationibus, tùm in concionibus dedit. Eâ re Patres Ordinis ſingu-

larem eius in omni disciplinarum genere præstantiam, quæ clarum illum, ac celebrem vbiquè locorum reddiderat admirati certatim illum ad primos dignitatem apices extulêre. At ille nihilominus varijs peragratis regionibus, multisque, ac magnis itineribus susceptis Verbum Dei, & Sacrosanctæ Ecclesiæ dogmata vbiquè locorum, ac Gentium accerrimè defendere, longè, ac latè propagare, sedulo nitebatur. Tandem Florentiam profectus aliquot illic annorum spatio, quâ docendo, quâ concionando Florentinorum animos suis adeo virtutibus, ac præclarissimis moribus in sui beneuolentiam attraxit, vt defuncto Vrbis eius Episcopo vnanimi consensu successor ei datus fuerit, cunctis quidem gratus, summo verò Pontifici Bonifacio etiam gratissimus; à quo primum Episcopus Florentinus confirmatus est, mox, & meritis eiusdem poscentibus ad apicem Cardinalatus euectus S. Pudentianæ Tit. Pastoris anno salutis M. ccc. Lxxxix. xv. Kal. Ianuarij. Hoc honore auctus summo Pontifici pro Rep. Catolicâ amplicandâ, eiusquè

libertate tuendâ ſedulo ſemper adfuit, & inſeruiuit. Poſt hæc in Siciliam apoſtolicâ legatione cum ampliſſimâ poteſtate miſſus, eo in munere, inquo præſtantiſſimè ſe habuit Caietæ xvi. Kal. Maij M. ccc. xcvi. apud Minoritas eiuſdem loci moritur; ibique ſepultus duplici iſtâ memoriâ decoratus eſt.

## EPITAPHIVM.

*Vnica Cardinei fueras, qui gloria cætus,*
*Hæc te petra tegit, Patauinis moenibus ortum:*
*Almas inter nunc animas lætaris olympo.*
*Miſſus eras partes demum Legatus ad iſtas,*
*Quùm tibi viuaces Mors inuida ſuſtulit annos,*
*Vnanimis quicquid condignum munere famæ*
*Scire datur, ſtudijs ſublimi mente locaſti.*
*Longa tuum meritis clarum per ſæcula nomen*
*Non adimet ſuprema dies: tua viuida virtus,*
*Nunquam morte cadens, omni memorabitur æuo.*

HIC IACET
REVERENDISS. IN CHRISTO PATER
DOMINVS
BARTHOLOMÆVS DE VLIARIS
DE PADVA
DEI GRATIA T. T. S. PVDENTIANÆ
PRÆSBYTER CARDINALIS PADVANVS
REGNI SICILIÆ APOSTOLICÆ SEDIS
LEGATVS
QVI OBIIT DIE XVI. APRILIS
ANNO M. CCC. XCVI.
INDICT. IV.

Meminit eiusdem Sabellicus Decade II. lib. VIII. Panuinus in Historiâ Romanorum Pontificum, & S. R. E. Cardinalium. Ciaconius in Vitâ Bonifacij VIIII. Platina in Bonifacio IX. Scardeonius lib. II. Classe VI. alijque cum plures.

ANGE-



ANGELVS BEOLCVS CIVIS PATAVINVS
COGNOMENTO RVZĀTES

## ANGELVS BEOLCVS

Cluis Parauinus, quem sub RVZANTIS nomine, toto Orbi conspicuum admirantur omnes, hic à nobis producendus est, non vt eius VITAM à multis celebratam denuò condamus; sed vt veram eius IMAGINEM posteris antiquitatum studiosis, vnâ cum eius memoriâ effictam demus, & oblectationis ergò verborum penicillo delineatam Fuit eò tempore, quò literæ in Lombardlâ florebant, & idiomate etrusco operá varia à præclarissimis viris, BEMBO, SPERONIO, & alijs conscribebantur, quorum gloriam assequi cum esse difficillimum nosset, omni industriâ contendit, vt agresti, & rurali linguâ talium præclarissimorum Virorum famam æmularetur. A purioribus igitùr Villicis, & ruri degentibus iocosis verbis, vrbanitatibus, facetijs, verioribus, simplicioribusquè formulis summâ cùm diligentiâ, & auscultatis, & collectis, Bacchaniliorum ferijs, quibus ad risum, & animi remissionem solent homines omne delectationis genus

genus consectari, rusticorum habitu, gestu, & sermone assumpto, Histrionem ruralem nisus est ada mussim agere: & ità perfectè ad optata peruenit, vt dùm personatus incederet, à ciuium multitudine, quæ ad ipsùm audiendùm agminatim vndiquè conuolabat, sæpè, ac sæpiùs opprimeretur. Fabulas variò versuum rithmo, & modulationibus scenicis conscripsit, sequè sub RVZANTIS, sub MENATI vero, & VEZZI, nominibus MARCVM AVRELIVM ALVAROTVM, & HIERONYMVM ZANETTVM, aliosq; complures in suis Comædijs representauit. Sed, dùm maximè in his artibus floreret, & certatim à Principibus appeteretur, anno ætatis quadragesimo immaturo fato functus est communi omnium moerore. Varia conscripsit; sed quæ typis consignata legimus, hæc sunt.

*Tres orationes in linguâ Agresti, quarum Prima est ad* CORNELIVM *Cardinalem Seniorem: secunda ad* FRANCISCVM *eiusdem familiæ Cardinalem: Tertia ad Episcopum Patauinum*

PISA-

PISANVM, *S. R. E. Purpuratum.*

*Epiſtola M. Aluaroto vnâ cum Pronoſtico iocoſo.*

*Dialogi duo eâdem linguâ rurali conditi, Interlocutoribus,* RVZANTE, *Menato, Gnua, Bilora, &c.*

*Comœdiæ V. cuius primæ Titulus eſt, la* VACCARIA.

*Alterius,* L'ANCONITANA.

*Tertiæ, la* MOSCHETTA.

*Quartæ, la* FIORINA.

*Quintæ, la* PIOVANA; *ſeu Fabula Crumenæ* RVZANTIS.

Extant & eiuſdem plura Carmina, quæ latè circumferuntur. Viget & eiuſdem ſtylus, ità vt non erubeſcant Eruditi Viri eo ſibi ſcribendi genere immortalitatem comparare. Sepultus eſt in Eccleſiâ S. Danielis ad Pratum Vallis, Sepulchrali memoriâ à Ioanne Baptiſtâ Rotâ ex merito honoratus; quam idcirco afferimus, quòd hodiè minimè cernatur, vel temporis iniuriâ obliterata, vel ob renouationem Eccleſiæ incuriâ Antiſtitis abolita anno CIↃ. IↃC. XXVI. Sepulcrum eius familiæ apparet, ſed abſquè verbis, ſolo cum Stemmate.

E V. S.

V. S.

Votum Soluit.

ANGELO BEOLCO

RVZANTI PATAVINO

nulli in ſcribendis, agendiſquè Comœdijs

Ingenio, Facundiâ, aut Arte ſecundo,

Iocis, & Sermonibus agreſt:

applauſu omnium faceti ſſ:

Qui non ſine amicorum mœrore è vitâ diſceſſit

Anno Domini M. D. XLII.

Die XVII. Martij.

Ætatis verò XL.

IO: BAPTISTA ROTA

Patauinus, tantæ præſtantiæ admirat.

pign. hoc ſempit. in teſtimon.

Famæ, ac Nomini

P. C.

Anno à Mundo redempto M. D. LX.

SIM-

SYMBOLVM ANGELI BEOLCI RVZANTIS.





HIERONYMVS CAGNOLVS
VERCELLENSIS. I.C.

# HIERONYMVS CAGNOLVS

VErcellensis, Vir celebris, & immortalis, tam ciuilis, quàm Pontificij Iuris scientissimus, Iurisconsultus; quippè qui, vtrumquè docendo, ac interpretando in omnibus ferè Italiæ Gymnasijs, alijs præstitit. Taurini degens apud Allobrogum Ducem, cui erat à Secretis, consilijs suis Principis illius Iurisdictionem scriptis propagare nisus est, à quo Equestri honore, ac Senatorio meritò fuit insignitus. Altiùs in veterum Legum monumenta, & Scriptorum obscuriores sensus se immisit, eosquè summo studio, voce, & calamo dilucidiores reddere conatus est. Cum demum à Serenissimâ Rep. Venetâ maximis stipendijs accersitus, ad Ius interpretandum in Patauino Lyceo summâ cum laude elatus est. Hîc felici aeris temperie prægustatâ, nec minus exteris, quàm incolis carus, vitam fortunatè vsquè ad annum quinquagesimum nonum perduxit, quo acerbo funere lumina in æternam noctem clausit.

*Variæ Legum Ennarrationes ab illo profectæ extant, quas in tres libros digessit.*

*Quorum primus continet Ennarrationes aureas in Constitutiones, & Leges Primi, Secundi, Quinti, & Duodecimi Pandectarum.*

*Secundus Ennarrationes alias in Iustiniani Codicẽ.*

*Tertius Commentaria in primam, & secundam Digesti Veteris, & Codicis partem, & maximè in quattuor ordinarias, vt appellant, lecturas matutinas, nec non in Titulum de Regulis Iuris.*

*Extat etiam quædam eius Epistola Illustriss.* EMANVELI PHILIBERTO, *Subalpinæ Ditionis Principi, inscripta, cuius Titulus est. De Vitâ, & Regimine boni Principis.*

Sepultus est in Ecclesiâ S. Francisci, cum Statuâ, ac Memoriâ, quæ hodie quoquè à sapientibus Iuuenibus salutatur.

D. O. M.

HIERONYMO CAGNOLO

VERCELLENSI VIRO OPTIMO ET IN IVRIS CIV. SCIENTIA INTER NOSTRÆ ÆTATIS EMINENTISS. EO PROPTER TAVRINI PRIMVM DEINDE PAT. MAIORI STIPENDIO QVAM QVISQVE ALIVS IVS CIVILE MAG. CVM LAVDE ATQVE OMNIVM ADMIRATIONE PROFESSO NOBIL. GENERE ILLVSTRISSIMI DVCIS SAB AVDIÆ MVNERE SENATORIA ET EQVESTRI DIGNITATE PERFVNCTO.

FIL. SVMMA ERGA TALEM PATREM

PIETATE MONV. HOC. POS.

VIXIT ANNOS LIX. OBIIT KAL.

FEBRVARII M. D. LI.

Fran-

Franciscus Svvertius in Delitijs Orbis, pro *Munere. Senatoria, & Equestri* non rectè legit: *Munere Senatorio, & Equestri*: vt in fine pro *perfuncto*, malè *præfuncto* Typographorum operæ collocarunt. Extat hic etiam in Laurentio Schradero aliquid corrigendum.

HIERONYMI CAGNOLI
NVMISMA.





GABRIEL FALLOPIVS MVTIN.[IS]
PHILOSOPHVS ET MEDICVS.

# GABRIEL FALLOPIVS.

MVtinensis, honestis ortus natalibus, laboribus, & vigilijs summum gloriæ fastigium pertingere conatus est, accedente ingenij acumine penè diuino, (non enim continebatur inter communes intelligentiæ limites) & corporis valido, & admirabili temperamento. Quare, vbi primùm ad Medicam plenè capescendam facultatem, Simplicium, Anatomicæquè, & Astrologicæ artis cognitionem accepit; totam ferè Europam peragrauit, vt, non tam abdita rerum cognosceret Naturæ florentis arcana, & radicum abstrusas virtutes: verùm etiam ad cœlestia penetranda pertingeret. Quorum notitiam assècutus, eandem in curandis morbis fortunato euentu adhibuit. His artibus inter Medicos sui æui Principatum facilè obtinuit, communique plausu in Lyceo Patauino, à Serenissimâ Venetorum Republicâ maximis muneribus donatus, Anatomicā artem explicuit, nec multò post defuncto Bonafide Anno CIↃ. IↃ. XXXX. Lecturam Simplicium adeptus est, Viri-

Viridarioquè à Serenis. Repub. Venetâ aperto summo cum honore præfuit. Fuit Vir in peruoluendis libris diligentissimus, & conscribendis miro lepore, & elegantiâ præditus. Testes sunt Lucubrationes eius, quæ in lucem editæ, & ab omnibus probatæ, summâ cum Auctoris gloriâ leguntur. Diem suum obijt Anno Domini CIↃ. IↃ. LXIII. Ætatis verò LXXIII. honestoq; funere in Ecclesiâ D. Antonij de Paduâ sepultus est, hac Inscriptione monumento incisâ.

*FALLOPI hic tumulo solus non conderis; vnà*
*Est pariter tecum nostra sepulta Domus.*

Nulla nunc eius memoria conspicitur, monumentum nullum, quòd Patres portam ibi construxerint, cumque eius ossa aliquandiù in capsâ ligneâ suprà monumenta vetera neglecta quodamodo iacuissent, tandem in sepulcro MELCHIORIS Guilandini Simplicium Doctoris, in primo Monasterij claustro, condita quieuêre.

Extant & in superiori Gymnasij Patauini parte, in scalarum fronte, apud quoddam sceletrum humanum; hæc verba tanti Viri memoriæ propagandæ causâ, in pariete picto.

## GABRIEL FALLOPEIVS.

A. PH. E.

Opera eius, quæ leguntur, hæc sunt.

*Tractatus de medicatis Aquis, atquè de Fossilibus in Patauinâ Academiâ habitus.*
*Liber de Morbo Gallico.*
*Liber de Arcanis quibusdam, seù de Compositionibus medicis, quæ extrà Medicinam in vsu habentur, vt sunt varia Vina, & Chymica multa, Italicè primum editus, posteà Germanicè in 8. Augustæ Vindelicorum anno 1570.*
*Expositio in Librum Galeni.*
*Obseruationes, & Institutiones Anatomicæ.*
*Tractatus de Compositione medicamentorum, cui accesserunt Tabulæ de Cauterijs.*
*Opuscula tria. Primum de Vulneribus. Secundum*

*dum continens Explicationes in librum* Hippocra-*tis de Vulneribus capitis. Tertium de Vulneribus oculorum, aliarumquè partium capitis.*

*Liber de Vlceribus, & Tumoribus.*

*Explicationes de Partibus similaribus humani Corporis, & de ijsdem partibus prælectiones, quas ex varijs ipsius lectionibus collegit, & edidit Volcherus Coiter Norimbergæ Fol. anno* 1575.

OD-



ODDVS DE ODDIS PATAVINVS
PHIL: ET MED: PROFESSOR

# ODDVS DE ODDIS.

PAtauinus ſub hâc ſeniore, & vetuſtiore Effigie conſpicitur. Is primâ ſui ætate toto animo Philoſophiam, Medicinamquè amplexus eſt, verum ipſe Philoſophiæ, ac Medicinæ ornamentum, ac decus. Quamobrem cum bellorum impetu Italia turbaretur, pulchrioreſquè artes, penitus Barbaris omnia vaſtantibus, corruiſſent; hic artem Medicam, Empiricis inuolutam remedijs, & ferè collapſam, naturali, & faciliori methodo reſtituit. Mox in GALENI libris pleroſquè annos ſtudioſiſſimè inſumpſit, qu m cum accuratiſſimè explicare cœpiſſet in publicis patriæ ſuæ Scholis, omnes eum audientium cœtus, ipſum GALENI animam appellabant. Nemo huius Medicorum Principis abditos ſenſus adeò intimè penetrauit, vt ODDVS noſter. eius namquè ſcripta, quaſi fibratim diligentiſſimè peruestigatus, & profundum doctrinæ, & altum contemplationis ſecurus pari ratione indagauit. Gloriabatur, veluti in delitijs, quidquid didi-

didicerat, id se totum ex studio doctrinæ GALENI hausisse. Praxi Theoricam coniunxit, multisquè laboribus Se, & Nepotes, & Patriam immortali splendore decorauit. Senex octuagenarius lumina clausit, & hæc monumenta posteris reliquit.


*Expositiones in duas Priores sectiones aphorismorum Hippocratis.*
*Expositiones Artis paruæ medicinalis* GALENI.
*De Pestis causis, & Pestiferorum omnium affectuum causis, signis, præcautione, & curatione lib. IX.*
*Apologiam pro Galeno, tùm in Logicâ, tùm in Philosophiâ, tùm in Medicinâ.*
*De Cœnæ, & Prandij portione lib. II.*
*Commentarios in Primam Fen. Auicennæ.*

Sepultus est in Ecclesiâ S. Danielis Patauij cum hâc Inscriptione.

OD-

ODDVS DE ODDIS
PHYSICVS ET MEDICVS
THEORICÆ ORDINARIÆ
IN HAC VRBE PVBLICVS PROFESSOR
ET CVM EO GVERINVS,
ET BENEDICTVS
AC IOANNES DOMINICVS NEPOTES
LOCVM HVNC VETVSTATE
CONSVMPTVM
SIBI ET SVIS OMNIBVS
INSTAVRARVNT.





FRANCISCVS FRIGIMELICA PATAVIN.
PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

# FRANCISCVS FRIGIMELICA

Patauinus ciuis, Medicus, ac Philosophus longè eximius, summâ patriæ gloriâ antèactis annis floruit. Humaniores literas, & Naturalem Philosophiam pubescente adhuc ætate præstanter Patauinâ in Vniuersitate profiteri cœpit. Quo in munere, cùm Vigilantia pro somno, Labor pro otio, Industria pro delitijs, & Occupatio pro vacatione illi praeciosiores essent; adeò strenuè ingenij sui neruos intendit, vt breui tempore, se Aristotelicæ, ac Galenicæ doctrinæ culmen attigisse demonstrarit. Hic Continentiâ, & Modestiâ iuxtà venerabilis, cum se totum infirmorum curationi addixisset, eos quoties inuisebat, & dulci recreabat aspectu, & sapientiâ mirificè confirmabat. Eò tandem harum Virtutum operâ, & iugi lectione deuenit, vt à Serenissimâ Venetorum Republicâ ei Theoricæ Ordinariæ interpretandæ prouincia credita fuerit, quam multis insigni cum nominis sui laude annis gloriosè gessit. Non audax, sed incessu modestus studentium de-

ſiderijs occurrebat, oratione, & officijs, beneficijſquè, tùm in eos, tùm in amicos ſemper effuſus. Hòc vnum inſatiabiliter concupiſſe dictus eſt, propagari memoriam ſui! *Nam contemptu famæ contemni virtutes ſciebat.* Anno ætatis LXVIII. Domini verò CIↃ. IↃ. LVIIII. vltimum diem clauſit. Varios Tractatus elaborauit ſpectantes ad Medicam facultatem, quos ob aſſiduam; & frequentem ægrotantium curam typis conſignare nequijt. At eos, Frater, eius vir eruditus, ANTONIVS FRIGIMELICA poſteris conſeruauit. Sepultus eſt in Eccleſiâ S. Auguſtini, antè portam occidentalem, ad ſuos, communi cum illis Memoriâ inſignitus, quæ legitur in hæc verba:

GEOR-

GIORGIVS FRIGIMELICA
IACOBO PARENTI OPTIMO
FRANCISCO MEDICO CLARISS.
ANT. ET PETROMAR. FRATRIBVS
SIBI S. Q. OMNIBVS POS.
ANNO M. D. LIX.
KAL. APRILIS.



HIE-


HIER. CARDANVS · AETATIS · A.N.XLIII
ONEIPON

# HIERONYMVS CARDANVS

PAtritius Mediolanensis, qui in Academiâ Patauinâ prima virtutis suæ rudimenta hausit, Mathematum insignis cultor & explicator, suprà cæteros, propter edita ingenij monumenta innumera toti terrarum Orbi probata, præconijs efferendus. Natus est anno CIↃ. IↃ. I. IX. Kal. Septembris, horâ sextâ, m. 40. à Meridie ex matre CLARA MICHERIA, & Patre Sene FACIO CARDANO, illustri Iurisconsulto. Per vim ex vtero extractus (vt ipsemet testatum reliquit) reuixit lauacro vini, capillatus antequàm natus. ater enim capillus, prælongus, & crassior ei nascenti fuit. Infans frigidis humoribus obnoxius, procedente ætate, totoquè reliquæ vitæ cursu, tùm aduersa, tùm secunda insperato, suprà Mortalium omnium cogitationes, euentu passus, vtramquè Fortunæ aleam lusit. Modo enim calamitatibus vexato bonorum Ilias occurrebat, modo bonis ingentibus affluentem calamitatum Miriades adoriebantur. Principibus cognitus,

&

& Regibus, Ecclesiasticis quoquè Proceribus gratissimus extitit. Sæpè per somnium admonitus non leuia pericula euasit, &, quod adiutus à Numine non obscurè multa conscripserit, persuadere posteris conatus est. Vir ætatis mediæ vxorem duxit perspicacem, quæ tres masculos abortiuit, duos edidit, & puellam vnam: obijtquè, postquàm secum vixisset annis XV. agente tùm CARDANO annum XLVI. Filiorum educationi cumprimis studuit: deinde scriptioni deditus multa publicis tabulis consignanda mandauit. Nouarum rerum inuentione felicissimus, plura scripsit, quàm legerit, plura docuit, quàm didicerit. Laudis enim, ac gloriæ maximè appetens immodicâ sciendi cupiditate flagrabat, &, vt ad immortalitatis apicem perueniret, studiorum labores omnes, & molestias alacer exantlabat. Quisquis es, qui nosse id exactiùs cupis, Librum de libris proprijs, vel Librum XII. Geniturarum adi, quarum octaua est HIERONYMI CARDANI: moresquè eius, ingenium, fortunas, opes, & euentus omnes mirâ eloquentiâ spectandos exhibet

bet

bet ferè verax. Senex natuæ legibus ſatisfecit, eo fermè anno, quo ſe prædixerat moriturum. Sepultus eſt Mediolani in Eccleſiâ D. Marci, eo in tumulo, quem FACIO CARDANO Patri ipſe poſuerat, hiſce verbis.

FACIO CARDANO I. C.

*Mors fuit id, quod vixi, vitam mors dedit ipſa.*
*Mens æterna manet, gloria, tuta quies.*

OBIIT ANNO M. D. XXIV.

IIII. KAL. SEPT.

ANNO LXXX.

HIERONYMVS CARDANVS

MEDICVS

PARENTI POSTERISQVE

V. P.

Cæterúm tanti Viri Effigiem, & Numiſma debemus Excellentiſſimo, & omnibus virtutibus ornatiſſimo FELICI OSIO, Sexennìo iam in Patauini Gymnaſij luce primariam Eloquentiæ Græcæ, & Latinæ Cathedram ſummâ cum laude obtinenti. Ab eo ſcilicet nobis vtrumquè curatum eſt, operâ Humaniſſimi, & Eruditiſſimi Viri IO: ANTONII CASTELLIONAEI, Iuris Vtriuſquè & Sacræ Theologiæ Doctoris, Vicarijquè perpetui Abbatiæ S. Vicentij in Prato apud Mediolanenſes.

Numiſmatis meminit etiam CARDANVS ipſe in Libro de libris proprijs hiſce verbis. *Somnium hoc veluti initium gloriæ noſtræ, ſi qua omnino eſt, erituè, in ectypis ex aduerſo Imaginis meæ depinxi.* Adeat Librum ipſum, qui Somnium, & interpretationem eius noſſe penitiùs cupit.

Scripſit.

Scripſit

*In Dialecticam lib. I.*
*De Secretis Primus lib. I.*
*De Libris proprijs lib. I.*
*De Vno lib. I.*
*Commentariorum in Hippocratem libros. C.*
*Commentariorum in Mundinum lib. I.*
*De Vrinis libros IIII.*
*In Artem paruam Medendi lib. I.*
*De Sanitate tuendâ libros IV.*
*Floridorum lib. I.*
*Contradicentium Medicorum lib. VIII.*
*De Malo medendi vſu. lib. I.*
*De Aquâ, & AEthere lib. I.*
*De Indico morbo lib. VIII.*
*De Experimentis lib. I.*
*De Morbis compoſitis lib. I.*
*Quod nullum ſimplex &c. lib. I.*
*De Ludis lib. I.*
*De Nodis lib. I.*
*De Tabulis lib. III.*
*De Secretis Quartus lib. I.*
*Problematum libros X.*

*Paralipomenon lib. I.*
*Consilia duo pro difficultate spirandi. Pro Leprâ, Pro sanguinis fluxu, Pro Ventriculi affectu, Pro surditate.*
*Apologias in Thessalicum Medicum, & in Julium Scaligerum.*
*Encomia Medicinæ, Geometriæ,* NERONIS; *& Podagræ.*
*Elementorum Geometricorum libros XV.*
*Arithmeticæ libros V.*
*Musicæ libros V.*
*De Naturâ libros V.*
*De Supernaturalibus lib. II.*
*De Arcanis Æternitatis lib. VII. Quos egomet penes Amicum vidi.*
*De Fato libros V.*
*De Subtilitate libros XXI.*
*De Rerum varietate libros XVII.*
*De Animæ immortalitate lib. I.*
*De Gemmis, & Coloribus lib. I.*
*Commentaria in Ptolomæi Quadripartitum lib. IV.*
*De Judicijs lib. X.*
*De Somnijs lib. IV.*
*De Metoscopia librum I. Qui quidem MS. circum-*

*cumfertur cum Obſeruationibus.* IↃCC.

*Centum Genituras.*

*Moralium libros III.*

*Tetim ſiue de Humanis conſilijs lib. I.*

*De Sapientia libros V.*

*De Præceptis ad filios lib. I.*

*De ſummo Bono lib. I.*

*De Conſolatione libros III.*

*De Minimis, & Propinquis lib. I.*

*De Vtilitate ex aduerſis capiendâ lib. III.*

*Guilielmum libro vnico*

*Theognoſtomi libros VI.*

*Hymnorum lib. I.*

*Et alia quàm plurima, quæ in laudato libro ritè, & ordine recenſentur.*

ALOY-



ALOYSIVS BELLACATVS
MEDICVS PATAVINVS.

## ALOYSIVS BELLACATVS

CIuis Patauinus, egregius suâ tempestate Medicus, magno cum splendore artem, quam profitebatur, exercens, infirmis, ac malè habentibus summâ pietate, ac vigilantiâ medebatur. A primis annis literarum studijs deditus, Philosophiæ primùm, dein Medicinæ scientiam adeptus, sic in vtrâquè excelluit, vt omne æuum in his consumpsisse videretur. Morum suauitate, & gratiâ nemini cessit, hisquè dotibus omnium sibi beneuolentiam facilè conciliauit. Magnis Viris percarus, ingentia præmia pari cum laude est consecutus. Propter assiduam in ægris curandis, & familiâ regendâ œconomiam, nullum Posteritati literarium munimentum relinquere potuit: at præclaros suæ virtutis hæredes, & doctrinæ alumnos reliquit multos. Satis felicem vitam duxit, & Patriam propriæ virtutis gloriâ, & filios diuitijs auxit. Anno ætatis LXXIV. vltimum diem clausit, salutis CIↃ. IↃ. LXXV. Sepultus est in Ecclesiâ Patrum Heremitarum D. Augustini, in

quorum

quorum Claustro cinerum eius Conditorium hâc breui memoriâ decoratum adspicitur.

ALOYSIVS BELLACATVS
MEDICVS.
VIXIT ANNOS LXXIV.
MENSES IX. DIES XXVI.
OBIIT.
ANNO SALVTIS



M. D. LXXV.
XII. KAL. DECEMBRIS.

BER-



BERNARDINVS TOMITANVS PAT.
LOGICÆ ET PHIÆ. PROFESSOR

# BERNARDINVS TOMITANVS


CIuis Patauinus, corporis ſymetriâ conſpicuus, aſpectu iucundus, Phyſicâ, ac Medicâ facultate æui ſui doctiorum gloriæ tenebras offudit. Facies eius, cæli purè nitentis inſtar, ſerena ſemper, animi tranquillitatem, ac morum probitatem oculis ingerebat. Humanitatis, ac Muſarum delitijs acerbam adhuc ætatem ornauit, vt indicant, quæ nexâ, & ſolutâ oratione conſcripſit. In Patrio Lyceo annos multos Ariſtotelis Logicam ſummo cum applauſu interpretatus eſt, quâ voce, quâ ſcriptis aliorum Interpretum gloriam æmulatus. Sed cum huiuſmodi ſtudij ſatietas eum capere cœpiſſet, ſeù potius ſublimioris Cathedræ deſiderium in ijſdem Scholis, quòd Virtutis ſuæ anguſtus nimis videretur Logicæ facultatis campus, in Ordinariæ Philoſophiæ interpretem eligi concupiuit, ac Libellum eâ de re ſupplicem Senatui Veneto porrexit. Qui expenſis vnâ ex parte TOMITANI meritis, & virtutibus; ex alterâ verò publicis Studentium votis, & commodis, à quibus ſingu-

gu-

gularis ille Logicæ disciplinæ Magister publicè conclamabatur; Vniuersitatis desiderio, bonoquè publico fauere maluit, quàm optatis Supplicis respondere. Itàquè Sapientissimorum consessus Patrûm Virum adhortatus, vt munus sibi primò commissum de more obiret, adiecit, id à nullo, quàm â TOMITANO obiri salubriùs posse. Adeò tamen ægrè Senatus Consultum eâ de re factum TOMITANVS tulit, vt, cum animi impetum cohibere non posset, Cathedris omnibus, & Gymnasio perpetuam dixerit salutem. Ità se totum ægris curandis addicens, & à pijs exercitationibus ad literarum studia, ab Ecclesiâ ad Bibliothecam suam se recipiens, procul à frequentià populi cum amicis, verbis & factis benignus, cunctosquè comitate, & alloquio ad officia prouocans, reliquum vitæ spatium felicissimè transegit. Ex vxore Elisabeth Zampeschi Donatum filium vnicum suscepit, qui absquè liberis vitâ functus familiam secum extinxit. Cæterùm *Bernardinus* ætate fessus defecit anno Domini CIƆ. IƆ. LXXVI. terræquè reddito in Ecclesiâ S. Francisci Ma-

ioris, antè ianuam, IO: ANTONIVS *Rudulphus Sfortia* Monumentum huiuscemodi posuit.

BERNARDINO TOMITANO
PHILOSOPHO MEDICO CLARISS.
IO: ANTONIVS RVDVLPHVS SFORTIA
AVVNCVLO BENEM.
E. S. P.



M. D. LXXXXVI.

Effigies, quam dedimus, expreſſa eſt ad exemplar eius, quæ apud modo laudatum Io: ANTONIVM RVDVLPHVM Sfortiam extat.

Latinè ſcripſit

*Coridonem, ſeù de Venetorum laudibus.*

*Clinicum, ſiuè de Reginaldi Poli Cardinalis laudibus.*

*Introductiones ad Sophiſticos Elenchos Ariſtotelis, &*

*Breuem Methodum diluendorum Paralogiſmorum per diuiſionem.*

*Thetin in aduentu Regis* HENRICI *III. Galliæ Chriſtianiſſimi ad Venetam Vrbem.*

*Animaduerſiones in Primum Poſteriorum Ariſtotelis.*

*Solutiones Contradictionum in Ariſtotelis, & Auerrois dicta in eundem librum.*

*Argumenta in nouem Quæſita Auerrois demonſtratiua.*

*Paraphraſim, ſeù Commentarios in Matthæum.*

Italicè.

*Dell' Eloquenza del parlar Toſcano libri tre.*

*Verſi, & Orationi diuerſe.*

IOAN-

## IOANNES CEPHALVS

CIuis Ferrarienſis, Iuriſconſultus placidis, ac ſplendidis moribus præditus, & præſtantiſſimus legum interpres fuit. Ab ipſis propemodùm incunabulis ingenuas artes ſummo animi ardore proſecutus, breui temporis ſpatio Iuris vtriuſquè Laureâ eſt inſignitus. Inde ſummâ ciuium acclamatione in Patrio Gymnaſio docere cœpit: donec in Ticinenſe Lyceum accerſitus eſt, vbi Collegam habuit ANDREAM ALCIATVM, quem poſteà ſingularis Sapientia, ac probitas ad ſacram purpuram euexêre. Patauium demùm accitus anno CIↃ. IↃ LXV. opimis ſtipendijs à Sereniſſimâ Rep. Venetâ in locum IVLII SALERNI I. C. GVIDVM PANCIROLVM, FRANCISCVM MANTICAM, ROGERIVM, ET FRANCISCVM ZABARELLAM, Viros vtiquè præſtantiſſimos, eiuſdem Spartæ conſortes nactus eſt. Hîc ille, tamquàm in propriâ orbitâ, reliquum vitæ curriculum feliciter adeò confecit, vt nec Bononienſium, nec Piſanorum ingentia præmia, nec oblati hono-

res

res ab Excellentissimo Viro GABRIELE à Cueua, Mediolanensis ditionis Gubernatore; qui se illum in Mediolanensium Senatorũ ordinem cooptaturum spoponderat, inde dimouêre potuerint. Lucubrationes, & assiduas in studijs vigilias, animi sui delicias solebat præcipuas nuncupare. Et cum pro comperto haberet, breui studio id attingi non posse, quod vix longâ rerum experientiâ scrutatur, suas Consultationes in quinque Volumina digestas typis credidit. In quibus solidæ Doctrinæ pretium, verumquè Iustitiæ exemplar admirantur omnes. Quoties scribebat, toties habebat ob oculos, *nihil ritè Mortales sine Dei immortalis ope auspicari posse.* Idcircò Iustitiam, ac Religionem inter cæteras virtutes singulari studio coluit, nec amicorum adulatione ab æqui tramite vnquàm deflexit; imò semper æquâ lance cuncta, adhibitis optimarum Legum ponderibus, librauit. Senio debilitatus diem clausit extremum piâ morte, & à Riccobono publicis encomijs celebratus, in Ecclesiâ Monialium S. Petri iacuit, vbi Primum Altare suis ipse sumptibus extruxerat, quod aper-

apertè testatur superior Altaris eius Inscriptio grandioribus hisce notis incisa.

CEPHALI ÆRE.

Ad Altare ipsũ tale monumentũ eiusdem extat.

MONVMENTVM
IOANNIS CEPHALI
FERRARIENSIS LEGVM INTERPRETIS
AC
FRANCISCÆ CVRTIÆ
PAPIENSIS CONIVGVM.



ANNO M. D. LXXVI.



TIBERIVS DECIANVS
VTINENSIS I.C. ET EQVES.

# TIBERIVS DECIANVS

VTinensis Patritius, Iurisconsultus celeberrimus, patriæ suæ magistratibus honorificè perfunctus, nec rarò ad Serenissimum Venetorum Senatum Legatus missus, pro Priuilegis Vtinensibus conseruandis, præclarissimè se gessit. Vir fuit singulari Doctrinæ, Eloquentiæ, & Memoriæ laude celebris. Venetijs in foro caussas cum eleganter, tùm piè defendit: dehinc Assessor Vicetiæ nobili Viro LAVRENTIO VENERIO: Patauij ei, qui posteà renuntiatus est Cardinalis, BERNARDO NAVGERIO: & Veronæ FRANCISCO VENERIO, qui ad Principatum Reip. Venetæ elatus est, fidelem operam præstitit. Extinctó Marco Blanco Patauino, qui eam Iuris partem explicabat, quæ ad Crimina pertinet, à Moderatoribus Gymnasij eius in locum subrogatus est, anno CIƆ. IƆ. XLIX. Quo in munere cum nauiter desudaret, nec multò post HIERONYMVS CAGNOLVS viuere desijsset, ad Lecturam Iuris Ciuilis Ordinariam de mane assumptus

est,

est, habuitquè Collegas in Iure Ciuili interpretando MARCVM MANTVAM PATAVINVM, & IACOBVM MENOCHIVM TICINENSEM, quorum fama non atra nox, quæ gloriam eius obtenebraret; sed lucidus æther, in quo felici cursu virtutum eius astra, præsentium oculis, nec non & posteritatis memoriæ longè latèquè fulgentia, omnium animos rapiebant in admirationem sui. Natura siquidem ipsa, vt hunc aspectu venerabilem & admirandum, humanitate & moribus insignem præ cæteris redderet, contendisse omni suo studio putabatur. Has illius dotes certatim reuerebantur, & prædicabant omnes, ob quas æquè eidem Procerum, ac Plebis studia omnia præstò erant. A Serenissimâ Republicâ Venetâ summis honoribus affectus est, maioribusquè cumulatus fuisset in dies, nî volente Fato fuisset immortalitate donatus eâ in sede, in quâ Beati æuo sempiterno fruuntur. Obijt anno Domini CIↃ. IↃ. LXXXI. Ætatis suæ LXXIII. Honorificè vixit, splendidè tumulatus est. Visiturquè Monumentum eius Patauij in Ecclesiâ Carmelitarum cum effigie, & statuis plurimis, & hac verborum pompâ.

 TIBE-

TIBERIO DECIANO
PATRITIO VTINENSI
COMITI EQVITIQVE CLARISS.

*IVrisprudentûm Consultiss. Oratori eloquentiss. Litium in Prætorijs Prouincijs diudicandorum Disceptatori æquiss. & in Patauino Gymnasio submotâ æqualitate supremam cum sempiternâ gloriâ dignitatem consecuto: cum à Sereniss. Rep. Venetâ, vt sibi in rebus de Iure pertractandis, oblato supraordinario Interpretis loco ampliss. præmijs ad vrbem accerseretur, cum summo omnium moerore, anno ætatis suæ septuagesimo tertio sanctiss. mortuo.*

NICOLAVS *I. C.* IO: FRANCISCVS, & RONCADINVS *Patri pientiss.*

MONVMENTVM HOC
FAC. CVR.
OBIIT VII. IDVS FEBRVARII
M D L X X X I.

Legi-

Legitur & in Baſi monumentali Diſtichon.

HIC CINERES MAGNI DECIANI. *Sufficit illud.*
*Diſces audito nomine quantus erat.*

Et inferiùs alterum Diſtichon Græcum.

ΤΗΙ ΙΕΡΗ ΚΕΦΑΛΗΣ ΔΕΚΙΑΝΟΥ ΕΝΘΑΔΕ ΤΥΜΒΟΣ
ʹΕΥΔΕΙ Η ʹΑΜΦΙ ΚΟΝΙΗ ʹΝΥΗ ΘΕΜΙΣ Η ΕΘΑΝΕΗ.

Huius tanti viri, quæ leguntur, ſunt.

*Volumina quinquè Conſultationum.*

*Apologia pro Reſponſis Iuriſconſultorum aduerſus Andream Alciatum.*

*Tractatus Criminales duobus Voluminibus comprehenſi, à propinquis editi, mirâquè doctrinâ referti.*

TI-

TIBERII DECIANI

I. C. CLARISSIMI

Numiſma

OPVS IOANNIS CAVINII PATAVINI

Eximij ſculptoris.




MAR-

## MARTINVS AB AZPILCVETA

QVi & Doctor Navarvs vulgò denominatur, Iurisconsultus illustris præsertim in Canonicis legibus, & sacris Sanctionibus interpretandis, ortus in Regno Nauaræ, Vir fuit non modò summâ Sanctimoniâ, ac Pietate præditus; sed etiam animi dotibus, & conscientiæ candore mirificè exornatus. Quibus cum ad Religiosorum instituta vocaretur, procul abdicatis rerum secularium curis, totus diuinis contemplationibus, functionibusquè vacauit; vt propterea Ecclesiæ Vniuersæ non solùm sacerdotali vitâ, & sanctissimis moribus; sed etiam cumpluribus, ijsquè grauissimis scriptis, quæ omnibus probantur, singulari fuerit ornamento. Siquidem, in se primùm, mox in alijs insita vitia omnia remedijs opportunis radicitus extirpauit, & quoduis genus hominum ad benè, beatequè viuendum sedulò instruxit. Hic in celeberrimâ Salamancæ Academiâ, suprâ decimum quartum annum, Decretorum libros elegantissimè explicauit.

plicauit. Mox ad Ius Pontificium interpretando in Lyceo Coimbricensi amplo stipendio euectus est, idquè munus decennio summo cum labore, & diligentiâ exercuit. Quo etiam tempore cum ingenti suâ laude in Sacramento Pœnitentiæ administrando à secretis fuit, & IOANNAE AVSTRIACAE, & Nepotibus, à quibus adeò ferebatur in oculis; vt ipsum summâ beneuolentiâ semper sint prosecuti. Sed, dùm Bartholomæus Caranza Archiepiscopus Toletanus litibus nimium agitaretur, cogitauit Romam, vt Archiepiscopi causam agens, pro illo contenderet, eiusquè rationes, & negotia suâ presentiâ, suoquè labore transigeret. Quod quidem itâ illi feliciter, & ex voto euenit, vt cum Romanis Iurisconsultis & Purpuratis omnibus gratissimus esset, nequè re perfectâ discedere ex Vrbe potuerit, imò à Sanctiss. Pontefice inter cæteros electus fuerit, qui CAROLI BORROMAEI, tunc temporis S. R. E. Cardinalis Tituli S. Praxedis, successor, summæ (vt vocant) Pęnitentiariæ curam gereret. In his, & laborum, & sollicitudinum ærumnis diù vixit,

vir

vir cibi minimi, exigui ſomni, in vigilijs patientiſſimus, in ſtudijs aſſiduus, corpore ità macilento fuit, vt ipſum non hominem, ſed hominis ſpirantis imaginem diceres, in quo ſub tenui carne tenuiſſimus ſpiritus eniteſceret. Pauperibus, & egenis (mirabile dictu) ſemper, & operâ & facultatibus ſuis adfuit. Siquidem non ſolum in illorum cauſis ſummâ induſtriâ verſabatur; verùm etiam ad eorum inopiam ſubleuandam patrimonium ipſum, & proprios reditus liberaliſſimè erogabat. Senex octogenarius, infirmæ virium valetudini conſulens, per Vrbem ſeniori mulæ inſidens vehebatur, quæ vſu, & aſſuetudine, quaſi heri ſui animum agnoſceret, quoties inter eundum pauperes habebat obuios, toties in ipsâ viâ conſiſtebat, donec Mendicantium neceſſitudini pijſſimus Senex ſubueniſſet. Tandem moriens anno Domini CIↃ. IↃ. XXC. VI. XI. Kal. Iulij; Ætatis verò ſuę XCIV. Men. VI. Diebus VII. bonis artibus, quas percoluerat, triſte ſui, nec vnquàm leniendum deſiderium reliquit: Sepeliturquè Romæ in Baſilicâ D. Antonij de Paduâ in Campo Martio Nationis Luſitanæ cum hoc Epitaphio.

D. O. M.

MARTINVS AB AZPILCVETA

NAVARVS

H. S. E.

Diuini, humaniquè Iuris Consultiss.
qui Salmanticæ primùm
deinde Conymbricæ
Fauentibus Portugalliæ Regibus
Ius Pontificium docuit.
Romam profectus
Pio V. Gregorio XIII. Sisto V. P.P. M.M.
Charus
omnibus nationibus gratus
huic Xenodochio beneficus
Obijt XI. Kal. Iulij M. D. XXCVI.
ætatis suæ XCIV. M. VI. D. VII.
Multis doctrinę suę peruulgatis monumentis.
Martinus Zuria auunculo B. M. Pos.

*Anagramma.*

MARTINVS AB AZPILCVETA

BEATVS IN CAELVM ASPIRAT.

Hæc

Hæc ab eo Commentaria edita leguntur.

*De Regularibus Commentaria IV.*
*De Alienatione rerum Ecclesiasticarum.*
*De Vsuris.*
*In caput,* Humanæ aures, *& de Silentio.*
*De anno Jubilæo, & Indulgentijs.*
*De finibus humanorum actuum.*
*Manuale.*
*De horis Canonicis.*
*Prælectiones.*
*In Caput.* Inter Verba *XI. Quæst.*
*De Pęnitentiâ distinctiones VII.*
*Tractatus de redditibus Beneficiorum, & Propugnaculum apologiæ de redditibus.*
*Consultorum lib. V.*
*Miscellanea de Oratione.*

STEMMA, ET EFFIGIES
# MARTINI NAVARI
I. C. CLARISSIMI.







SPERONVS SPERONIVS PATAVINVS
PHILOSOPHVS, ET ORATOR.

# SPERONVS SPERONIVS

PAtauinus ciuis. Quid in hoc Viro primùm ego laudem, quid tu Lector potissimùm admireris, nescio: Adeò Prudentia cum summo animi Candore, ac Virtute in eo certarunt, vt Fato potiùs Philosophiæ simulacrum, ac Diuinitatis specimen quoddam Cœlo mortalibus delapsum, quàm proprio Marte, ac labore videretur emicuisse. Quanta sanè fuerit eius Virtus, quantus ingenij splendor, vel hinc aduertas licet. Adolescens apud patrios lares Lecturam Philosophiæ obtinuit, mox, & Romæ floruit. Eo tempore, quo sub auspicijs LEONIS X. Summi Ecclesiæ Antistitis literis honos habebatur amplissimus, studiosiquè viri à tanto Musarum Mœcenate recreati vndiquè cogebantur. Tùm enim SPERONVS noster Vrbem profectus, gratissimus Pontifici fuit, Purpuratisquè omnibus, ac Principibus reliquis tantâ necessitudine coniunctus, vt, defuncto LEONE, percunctantibus nonnullis è numero Purpuratorum, quid sibi vellent

hæc

hæc inibi præ foribus elementa M. CCC. LX. libero ore responderit, id sibi velle. MVLTI COECI CARDINALES CREARVNT LEONEM X. quòd sibi LEO floridâ nimis æta te ad summum Ecclesiæ apicem ab illis prouectus videretur. Fuit vir rutilâ, ac venustâ facie, incessu tardus, peracri ingenio, ore salsus, è cuius oculis quidam emicabant radij seueritatis, ac maiestatis. Primùm Etruscas, ac Latinas adamauit literas: pari deinde affectu Moralem, ac Naturalem Philosophiam, nec non Iuris prudentiam, ac Mathematicas disciplinas amplexatus est: postremò Eloquentiæ ità se addixit, in eiusq; castris tantùm profecit, vt, & Hispaniarum, & Galliarum Regibus, pro publicâ pace Italiæ in gratiâ Pontificis insigni oratione pacem suaserit, & pro patriâ multoties coràm Serenissimis Venetiarum Principibus verba faciens Senatum vniuersum, & auditores omnes ab ore pendentes in stuporem, & admirationem traxerit. Orauit pariter à Principe accitus in Funere CAECILIAE VARRANAE Vrbini Ducissæ, nec non & PETRI BEMBI Cardinalis

lis obitum oratione defleuit. A PIO IV Pont. Max. Equestris ordinis insignia retulit, cum alias respuisset quam plurimas, nimiæ libertatis amator, à Magnis oblatas Principibus dignitates: Roma Patauium rediit eâ de causâ potissimùm, vt ingrauescenti iam ætati quiete consuleret. Verùm publico Ciuium gaudio exceptus non potuit pro publico bono, patriæquè suæ commodis non plurimùm laborare. Astrorum peritiâ multa, & amicis, & ciuibus euentura prædixit. Tandem annorum, & honorum plenus, cum natus esset anno CIƆ. IƆ. IV. Idus Aprilis, M. 24. post Meridiem, è vitâ migrauit III. Nonas Iunij, anno Domini CIƆ. IƆ. LXXXVIII. Laudatus publicè à Riccobono, in Templo Maximo ad Sacellum B. Virginis sepultus est. Multa scripsit patrio sermone, quæ recensentur infrà. Epitaphium sibi viuens pari sermone condidit, quod hæredes paucis additis defuncti tumulo incidendum curarunt.

STEM-

# SPERONE SPERONI

Nacque

NEL M. D. ALLI XII. APRILE

MORI

NEL M. D. LXXXVIII. D. III.

GIVGNO.

Viuendo si fece l'infrascritto Epitaffio.

*Messere Sperone Speroni delli Aluaroti, Filosofo, & Caualier Padouano, il qual amando con ogni cura, che dopò se del suo nome fusse memoria, che almen nelli animi de vicini, se non più oltre cortesemente per alcùn tempo si conseruasse, in vulgar nostro Idioma con vario stile sino all'estremo parlò, & scriße non vulgarmente sue proprie cose, & era letto, & udito.*

*Viuete anni* LXXXIIX. *mesi* I. *giorni* XII. *Morì Padre di vna figliuola, che li rimase le tre, che n'hebbe, & per lei Auo di assai Nepoti, ma Auo, & Proauo, & Attauo à discendenti dell'altre due tutte nobili, & bene stanti Femine, & maschi nelle lor patrie honorate.*

M Et

Et supra Saxum, in quo eius ossa conduntur, in eodem Deiparæ Sacello hæc alia leguntur.

AL GRAN SPERONE SPERONI

MIO PADRE

GIVLIA SPERONA DE CONTI

M. D. LXXXXIIII.

Huius in Tumulo Numismata quoquè multa, ab Annibale Tosato Patauino sculpta, collocata sunt ab Hæredibus vnâ cum eius effigie plumbeo cortice inuolutâ.

Suprà Epitaphium adhuc ponenda SPERONIO restat marmorea Statua, quam, procurante C. SCHINELLA Comitio, Campagna cœpit, Paliaris absoluit. Peruenit illa tandem, SCHINELLA defuncto, in manus Præclarissimi, ac Nobilissimi Viri C. SPERONI de Comitibus, Abbatis, & Canonici Patauini, & in eius ornatissimo Museo vnà cum pretiosissimis picturis, & iconibus asseruatur.

NV-

NVMISMA

SPERONI SPERONII

EQVITIS PRÆCLARISSIMI VIRI.



Patauini Quattuor Viri benemerito Ciui in publico Prætorio marmoream Statuam cum hac Epigraphe publico decreto erigendam decreuêre.

ΙΣΩ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΕΙ ΝΟΕΕΙΝ ΚΙΚΕΡΩΝΙ ΤΕ ΕΙΡΕΙΝ.

SPERONO SPERONIO

SAPIENTISSIMO ELOQVENTISSIMO

OPTIMO VIRO ET CIVI

VIRTVTEM MERITAQVE ACTA VITA

SAPIENTIAM ELOQVENTIAM

DECLARANT SCRIPTA

PVBLICO DECRETO

VRBIS QVATTVOR VIRI P.

ANNO A CHRISTO NATO M. D. XCIV.

AB VRBE VERO CONDITA.

M. M. D. CC. XII.

Opere

## Opere Stampate.

*Dialogi parte prima, & seconda.*
*Apologia della prima parte dei Dialogi.*
*Orationi molte raccolte in vn libro.*
*Discorsi varij. Cioè della Prudenza de Prencipi.*
*Della Militia.*
*In lode della Terra.*
*Sopra le Sentenze.* Nequid nimis. Nosce te ipsum.
*Dell'amor di se stesso.*
*Dell'Eloquenza volgare.*
*Del lattare i figliuoli.*
*Dialogo della Cura familiare.*
*Espositione dell'Oratione Dominicale.*
*Lettere familiari, & Versi varij.*
*La Canace Tragedia. Apologia, & Lettioni in difesa dell'istessa.*

## Opere da Stamparsi.

*Lettioni sopra li quattro libri dell'Etica di Aristotele.*
*Tauole della Retorica.*

Lettera ai Hebrei.
Discorsi varij.
La maggior parte morali, come sopra le Virtù.
Del parlar dell'huomo.
Della Vita Solitaria.
Dell'Arte, Natura, e Dio.
Dell'Honore.
Della Fortuna.
Due Discorsi soura Dante.
Della Sobrietà.
Delle Ricchezze del virtuoso.
Della Lingua Latina.
Del Seruire in Corte.
Tre sopra l'Ariosto.
Otto sopra Virgilio.
Quattro sopra la Retorica, & altri al numero di cinquanta otto.
Vn libro de Sonetti, & Versi vulgari.

HIE-



HIERONYMVS CAPIVACCEVS PATAVINVS
PHILOS. ET MEDICINÆ PROFESSOR.

## HIERONYMVS CAPIVACEVS

PAtauinus. Præstantissimi huiusce Viri ad effigiem stupeant cuncti, licet ei vitrea paulisper demant conspicilia maiestatem. Hic enim propriâ virtute quoscunquè in Medicâ facultate viros insignes suæ tempestatis prætergressus est, quem nunc posterorum concors exoptat consensus omnis. Assiduis lucubrationibus Lector in almo Patauino Lyceo Theoricam, & Practicam præstantissimè docuit, ex quo vel maximis vndequaquè præmijs expetitus, nequè de abeundo cogitauit. Eo in Lyceo, alter quasi Hippocrates habitus, Delphici oraculi responsa dictis suis, ac sententijs æmulabatur. A summis Italiæ Principibus morborum curandorum causâ studiosissimè accersitus, eam præ se tulit artem, ac medendi rationem, vt ex aliorum incolumitate sibi emolumentum maximum compararit. Anno CIↃ. IↃ. LII. Practicæ Medicinæ Cathedram obtinuit, posteà secundum in ordine locum, Theoricam tandem. Et Antonium quidem Fracantianum

in

in Practicâ collegam ſortitus eſt, eoquè defuncto, *Mercurialem* præclariſſimum Medicum præire conatus eſt. Senio iam confecto quidam Aſtrorum peritus prædixiſſe fertur, ne illâ ætate iter aliò ſuſciperet. At ille, dum prædictionem negligens Mantuam pergit, vt doloribus Principis eius Vrbis occurrat, patriam repetens, acri repentino morbo correptus, animam efflauit, cum annis triginta, & ſeptem in Patriâ, ſummo cum honore ſemper, viuâ voce Medicinam profeſſus eſſet. Opes quamplurimas cumulauit. Supellectilem pretioſiſſimam, domoſquè mirâ maieſtate extructas reliquit affinibus, & agnatis. Sepultus eſt in Eccleſiâ Patrum Ieſuitarum, ad dexterum Altaris maioris latus, donec in nouâ eorumdem Patrum Eccleſiâ nouus eiuſdem meritis, ac gloriæ tumulus erigeretur, his verbis.

IACENT HIC CAPIVACCEI OSSA
QVOVSQVE NOVVM FVERIT
CONSTRVCTVM TEMPLVM.

Scripta ab eo sunt

*Medicina Practica, seu Methodus cognoscendorum, & curandorum omnium corporis humani affectuum, in VII. libros distributa.*

*Tractatus de Vrinis.*

*Libellus de ratione componendi Medicamenta.*

*Explicationes* XXXIV. *de Methodo medendi.*

*Liber de Methodo Anatomicâ.*

*Liber de Differentijs doctrinarum, seu de Methodis.*

Vidi prætereâ hæc à Paulo de Faris Patauino ex eiusdem ore dictantis excepta.

*Lectiones super omnes febres publicè explicatas Anno* M D LXXVI.

*De Venenis lectiones, eodem anno pariter enarratas.*

*Primam, & Secundam partem Morborum particularium, traditam ab eodem anno* M D LXXIV. *&* M D LXXVIII.



MARCVS ANTONIVS DE PASSERIBVS
*á Genua Patauinus Philosophię Doctor.*

# MARCVS ANTONIVS GENVA

NICOLAI Clarissimi Philosophi, & Medici filius, cum Philosophiam omnem apprimè calleret, præstantissimi Philosophi nomen sortitus est. Ortum habuit ex illustri Passerinorum familiâ, quæ Mantuæ olim, ac Mutinæ, Carolo Saraceno teste, feliciter imperauit; mox rerum ordine perturbato, Genuam se recepit; ac tandem eius reliqui stipites Patauium commigrantes, suam sedem inibi collocarunt. Vnde factum, vt ad hanc vsquè diem tùm Passerinorum, tùm Genuensium, tùm de Ianua cognomen sibi sartum, tectum, & integrum conseruarint. Cæterùm cum MARCO ANTONIO non esset ingenium infrà vulgus; sed præclaræ, ac insignes in eo animi dotes, ac propensiones, nihilquè foret antiquius, quàm studiorum amor, & cultus, breui temporis interuallo, summâ cum admiratione Doctorum, naturalis ac diuinæ Philosophiæ orbitam adeò fixo pede pressit, vt in album Philosophorum adscriptus, patriæ, familiæquè suę splendorem, ac gloriam mi-

mirum in modum auxerit, virente adhuc ætate adhibitus ad Lecturam Philoſophiæ publicè explicandam in Patauinis Scholis. Sanè primus is fuit, qui in illuſtri Philoſophiæ Cathedrâ Ariſtotelis abditos ſenſus ex Græcis textibus explanauit, & æuo ſuo Peripateticam doctrinam Interpretum ambagibus inuolutam meridiana luce clarius illuſtrauit. Vſquè adeò portentoſo ad rem quamlibet addiſcendam ingenio fulſit, adeòque vaſtâ memoriâ & mirâ in arcanis Naturæ parentis aperiendis facilitate præditus ab eâdem, vt aliqui ſuſpicarentur, eum ad tantarum rerum ſcientiam, non experientiâ duce; ſed ductu familiaris alicuius Spiritus perueniſſe. Vir omni planè lepore ornatus extitit, & decorâ maieſtate vultus, Virtute pariter, ac Doctrinâ cæteros antecellens, quantòquè laude dignior, tantò laudatione quâuis vel ingenti maior. Verùm enimuerò laus hæc vna GENVAE maximè propria fuiſſe creditur, quod ex eius Scholâ, veluti ex equo Troiano, eximij Viri perpetuò prodierint, IACOBVS ZABARELLA, BERNARDINVS TOMITANVS, SPERONVS

SPE-

SPERONIVS, & alij multi omni genere virtutis, & laudis abundantes. Duxit Vxorem *Beatricem à Sole*, ex quâ quinquè Liberos suscepit, Nicolaum scilicet, Paulam, Helenam, Lauram & Cassandram, quæ Patre docente non solùm liberales Artes, ac morales Virtutes, sed & Logicam, & Philosophiam solidè didicerunt; nuptæquè primarijs Ciuibus Patauinæ Vrbis, paternæ virtutis, ac disciplinæ assèclæ extiterunt. Iamquè MARCVS ANTONIVS in labore studiorum consenuerat, cùm Serenissimâ Respublica Veneta hunc illi honorem habere voluit, vt veluti bene meritus miles donaretur rude, & Lecturam supraordinariam, stipendijs etiam auctis obtineret. Pulcherrima quæquè Naturæ arcana congessit, & absolutissimos Commentarios *in Lib. de animâ* tabellis publicis consignauit. Scripsit etiam *contrà Antonium Bernardum Mirandulanum*, vt ex eius Apologiâ patet. In *libros Physicorum*. In *libros de Cælo*, & *de Generatione*, & *in Metaphysicam Commentarios* summi Philosophi calamo, & ingenio dignos. De vario, ac multiplici genere Scientiarum eius,

ita

ita ſcribis PIERIVS *Valerianus in Præf. lib.* XXXVIIII. qui illi inſcriptus eſt hoc titulo. *De Ijs, quæ per Iſidem, & Iugeris quadrâ, & picturas aliquot alias ſignificantur ad* M. ANTONIVM PASSEREM Patauinum Philoſophum probatiſſimum.

*Non enim te ſolis Medicinæ, Philoſophiæquè terminis cohibuiſti, ſed longè vlterius progreſſus, variarum inſuper rerum minimè protritarum doctrinamità tibi comparaſti, vt de quâcunquè re propoſitâ, & eruditè loquaris, & eruditionem ipſam mirâ ſermonis iucunditate noueris conueſtire. Quin Poëtas, Hiſtoricos, Philoſophoſquè omnes ità tibi familiares effeciſti, vt nihil totâ in Encyclopædiâ ſit, quod te lateat, quod non in promptu habeas, proquè loco, & tempore vtaris quàm feliciſſimè.*

Cùm demùm Deus Opt. Max. eum ab hâc humo, & turbâ ad illa ſecurâ, & altâ deduxit anno ætatis LXXII. conditis cineribus in arctâ vrnâ ad Maiores ſuos, in Eccleſiâ S. Ioannis Viridarij.

EIVS

# NVMISMA
## MARCI ANTONII GENVÆ
## EMINENTISSIMI PHILOSOPHI
## PATAVINI.




PAV-

## PAVLVS TOMASINVS

AVus noster lateralis, ex Marco Proauo Patauij ortus, ac præsbyter hîc recensetur: eius (vt euitetur iactantia) dissimulatur Effigies. Verùm, vt Virtuti, Patriæ, ac Familiæ debitus persoluatur honos, non est eius vsquèquaquè memoria obliteranda. Vir fuit optimis moribus imbutus, eruditione variâ exornatus, humaniorum literarum studijs apprimè deditus. Ecclesiæ Patauinæ longâ, fideliquè operâ inseruiuit; Primatibusquè carus, ac præsertim Cardinali PISANO, Episcopo Patauino, cui varijs in rebus doctrinâ, & diligentiâ suam ille fidem probatum iuit. Mox, cum singulari pietate fulgeret, Sacris Virginibus D. Stephani, ad earum Confessiones excipiendas, datus, operam eis suam mirâ patientiâ per plures annos præstitit, cum ei muneri antè se præfuisset BERNARDINVS *Scardeonius*, elatus inde ad Canonicatum Ecclesiæ Patauinæ. Defuncto demùm Ioanne de Benedictis Veneto, Ecclesiæ S. Laurentij Rectore, anno CIϽ. IϽ. LXV. eo Be-

neficio decoratus est, existente Monasterij S. Stephani Abbatissâ, Aureliâ Vrsatâ. Tractatus quosdam Spirituales pro Sacris eiusdem Monasterij Virginibus etrusco idiomate conscriptos, de rectâ ipsarum viuendi Institutione, reliquit. Tandem senio confectus animam Conditori suo reddidit, salutis anno CIϽ. IϽ. LXXVI. ætatis LXVI; vigetquè adhuc Pij Viri memoria in animis Virginum earundem; nec non & meritorum fama.

Sepultus est in Ecclesiâ D. Laurentij. Extat autem eiusdem Effigies accuratissimè picta in Fratris mei musęolo: apud me verò libri eius Theologici nonnulli, ipsiusmet manu exarati; & marginalibus notis insigniti passim.

STEMMA ET SYMBOLVM

PAVLI TOMASINI

PRÆSBYTERI PATAVINI.






# IOSEPHVS MOLETIVS

MEssanensis, vir doctissimus, Philosophus, & Mathematicus virtutibus, moribusquè suis, & affabilitate studiosis omnibus percarus, & in primis Serenissimo Duci Mantuæ GVLIELMO, qui eius potissimùm curæ, ac doctrinæ Principem filium VINCENTIVM in Mathematicis disciplinis instituendum commisit, à quo posteà, ad Ducatum euecto, vt à gratissimo Discipulo doctissimus Magister, summis præmijs auctus, ac patrocinio perpetuo cultus fuit. Eius verò famâ toto terrarum orbe diffusâ, Serenissima Resp. Veneta eum in Academiæ Patauinæ Gymnasium, ad Mathematicarum Lecturam, magno proposito præmio aduocauit. Ab Aulâ illius Principis in Lyceum nostrum sese ille transtulit, vbi, quâ legendo, quâ scribendo tantam ingenij præstantiam, ac Eruditionem præ se tulit, vt alios, qui præcesserant, visus sit non æquasse solùm; sed etiam multis partibus mirabiliter antecessisse. Inter ea, quæ ad Mathematicam disci-

plinam ſpectantia conſcripſit, locum principem obtinent Ephemerides cœleſtium motuum ab Anno CIↃ. IↃ. LXIII. vſque ad annum CIↃ. IↃ. LXXX. iuxtà calculum Alphonſinum, cum nouâ adhuc Copernici non inualuiſſet hypotheſis, cui præfixi ſunt Tractatus Iſagogici quidam non tam ad Aſtronomiæ, quàm ad Iudiciorum rationem maximè pertinentes. Tabulas itidem Gregorianas, iuſſu Senatus Veneti, pro Anni correctione in gratiam Gregorij XIII. Summi Pontificis compilauit, pro quibus laboribus ab eodem Senatu ducentorum aureorum munus accepit, ab ipſo verò Summo Pontifice Gregorio trecentis, vt vocant, Cameræ ſcutatis auctus eſt, maiori pro earum continuatione promiſsâ ſummâ. Moritur, & in Eccleſiâ S. Franciſci Maioris apud eiuſdem Sacrarium ſepelitur cum hoc Elogio parieti inſcripto.


IO-

IOSEPHO MOLETIO
MESSANENSI,
DOCTRINA PROBITATE AFFABILITATE
VIRO CLARISSIMO
POST EGREGIAM OPERAM DATAM
VICENTIO MANTVÆ PRINCIPI
SERENISSIMO
AD MATHEMATICAS DISCIPLINAS
INSTITVENDO
IISDEM PER ANNOS XII.
IN GYMNASIO PATAVINO IN-
TERPRETANDIS
OPERIBVS ET LVCVBRANDIS
KALENDARIO EX VOLVNTATE
GREGORII XIII. PONT. MAX.
ET MANDATO SERENISSIMÆ VENE-
TORVM REIP.
CORRIGENDO ÆTATE ANN. LVII.
EXTINCTO
PROCVRATORES HÆREDITATIS ANNO
M. D. LXXX. VIII.

In

In lapide vero tumuli humi strato vnà cum familiæ Stemmate hæc leguntur.

IOSEPHVS MOLETIVS
MATHEMATICVS
CELEBERRIMVS
OSSA HIC RELIQVIT.



ANNO M. D. LXXXVIII.
ÆTATIS SVÆ LVII.

EFFI-

EFFIGIES ET SYMBOLVM
I O A N N I S S T A D I I
PRÆCLARISSIMI MATHEMATICI.




IOAN-

# IOANNES STADIVS

IN Vico Loenhoutio agri Brabantini natus, omnium literarum genere imbutus, Mathematicis in ſtudijs ità cumprimis excelluit, vt ei parem in illâ facultate nullum ætas noſtra tulerit. Primâ iuuentâ Louanij ſummâ cum celebritate nominis T. LIVII Hiſtoriam publicè explanans, in L. Flori Hiſtoriæ Romanæ Epitomen ( ſic eam appellat Lipſius ) egregium Commentarium poſt Ioannem Camertem edidit, ſecundus nulli. Sed, inferioribus ſpeculationibus valere iuſſis, rebus cœleſtibus animum penè diuinum addicens, Aſtronomiam reſtaurare conatus eſt, confectis ALPHONSI Hiſpaniarum Regis exemplo tabulis, quas BERGENSES nuncupauit, ex quibus omnium ſyderum æquabiles, nedum apparentes motus ad quæuis tempora dignoſcenda mirâ facilitate, ac promptitudine colliguntur. Allobrogum Principi in primis gratus Mathematicus extitit, apud quem aliquandiu degens, & Genethliacæ Aſtrologiæ operam nauans, ità facultatis

illius ſecreta introſpexit, in abdita ipſa aſtrorum arcana penetrando, vt diuerſorum Principum, & Procerum euentus mirâ claritate, denunciauerit. Vnde ſibi, & nomen ingens, & exiſtimationem eximiam comparauit. De hâc tamen facultate non alia, quàm quæ Fixarum ſyderum Prognoſtica nominantur, Poſteritati monumenta reliquit; in quibus de ſummâ felici, vel infelici hominum fortunâ à ſtellis fixis diſſeruit accuratè. Magnis inde præmijs ornatus ab Allobrogum Duce diſceſſit, & ad Leurinos germanos fratres, Brugis Flandorum nobiles, ſe contulit. Mox Lutetiam Pariſiorum ab HENRICO III. Galliarum Rege vocatus, omnium ſuffragijs Regius Mathematicarum Profeſſor eſt ſalutatus. Hic tandem in ſuburbio Honoratiano, apud Mareſchallum Retzium, diem clauſit extremum. Ioannes Metellus amicum defunctum hoc Elogio decorauit.

IEHO-

IEHOVÆ SACR.

IOANNI STADIO

MATHEMATICO AB EDITIS TABVLIS
EPHEMERIDIBVS ASTROLOGICIS
COMMENTARIISQVE HISTORIARVM
ET ACVMINE INGENII CLARO.
PHILIPPI HISP. REGIS HONORARIIS
LOVANIVM DEIN LVTETIAM
AB HENRICO III. GALLIÆ REGE
AD PVBLICAM EARVM DISCIPLINARVM
QVAS CELEBRI STVDIOSORVM
CONCVRSV ILLIS IN ACADEMIIS
DOCVIT PROFESSIONEM ADSCITO.

IO: MATALIVS METELLVS SEQVANVS

I. C. CELTA AMICO

BELGÆ MEMORIÆ CAVSA.

VIXIT ANNOS LII. MENSES FERE II.

OBIIT XV. KAL. QVIN. ANNO

CIↃ. IↃ. LXXIX.

Edidit

*Memoratas Tabulas Bergenses Motuum æqualium, & apparentium Planetarum.*

*Ephemeridum Volumina duo, ab anno salutis* CIↃ. IↃ. LIIII. *usquè ad* CIↃ. IↃC. VI. *cum Isagogis in Astronomiam, & Astrologiam.*

*Prognostica Stellarum fixarum unà cum Tabulis Bergensibus, in quarum initio extat eiusdem Astronomiæ Historia.*

*Commentarium ad hæc egregium confecit in L. Florum: & Fastos Romanos ab Hub. Goltzio editos illustrauit.*

MAR-



MARCVS MANTVA
BENAVIDIVS PAT. I.C. ET EQVES.

## MARCVS BENAVIDIVS

MANTVA, Patauinus ciuis, & præstantissimus Iurisconsultus, ex Io: Petro Benauidio Patre ortus, vir fuit omnium literarum. Corporis exiguitatem animi magnitudine mirificè compensauit, quod egregia in vtroquè Iure opera illius edita testantur, ob quæ inter Iuristarum Proceres primas tenet. Florentibus ætatis annis Prætorio addictus, publicas fori caussas, tùm Ciuiles, tùm Criminales pro tutelâ pupillorum, ac pauperum mirâ pietate defendit, multosquè à calamitatibus innoxios singulari Eloquentiâ vindicauit. Iactis hoc pacto suarum ab illo laudum, ac meritorum fundamentis, cum summâ dicendi facultate polleret, à Ciuibus magnâ cum laude ad potiora dignitatum munera euectus est. Patriæ namquè suæ lætitiam Serenissimo FRANCISCO DONATO, in ipso Principatus sui limine, legatus aperuit. Mox Cathedras legum adeptus, modò Iuris Canonici, modò Ciuilis suprà duos, & sexaginta annos in Patrio Gymnasio summo

cum

cum applausu interpretem egit, collega Ludouici *Gometij Hispani, Vincentij Dollochij Bononiensis, Hieronymi Cagnoli Vercellensis, Tiberij Deciani, & aliorum I. C. Illustrium* eius æui. Eâ re Bononienses, peruulgatâ nominis BENAVIDII famâ, maxima ei (sed frustrà) præmia obtulerunt, vt Patauinam Academiam cum suo Gymnasio commutare vellet. Eundem Lusitaniæ Rex summis precibus, nec non & PAVLVS III. Pont. Max. vt inter Romanæ Rotæ Auditores connumeraretur, adsciuit. Pari studio alij Principes eum, ad Aularum suarum decus, habere apud se proximè cupiuêre. Ter Comes, ter Eques creatus est. A PIO nempè IV. Summo Sacr. Antistite anno CIↃ. IↃ. LXIV. A CAROLO IV. Imperatore anno CIↃ. IↃ. XXXXV. A FERDINANDO anno CIↃ. IↃ. LXI. amplissimisquè Priuilegijs, & donis à summis Principibus insignitus. Respublica Veneta, vt, quanti eius merita & labores faceret, publicè testaretur, eminentissimum in Patauinis Scholis dignitatis locum, quem *Supraordinarium* vocant, ei concessit, permissâ facultate legendi, quando, & quoties liberet.

Splen-

Splendidè planè vixit, ædesquè Principe Viro dignas, quâ Picturis, quâ priscis Marmoribus, & venerandæ antiquitatis monumentis illustres propè Cœnobium Heremitarum extruxit, in quibus Academia Musis, & Musicæ dicata sedulò, seriòquè culta per plures annos, ità floruit, vt MANTVAE domus Studiosorum omnium, & Patriæ ferè totius delitiæ meritò diceretur. Eo sanè tempore nihil erat magnificentiùs Palatio MANTVAE, nihil admirabiliùs Bibliothecâ, nihil spectabiliùs Musæo, in quo penitiores, & preciosiores Antiquitatis reliquiæ conseruabantur. Viuere desijt anno ætatis LXXXXIII. Salutis verò CIↃ. IↃ. LXXXII. In funere celebratus est à Riccobono, iacuitquè conditus in Heremitarum Ecclesiâ, sub illustri tumulo, quem sibi cōdiderat viuens. Vt enim Fama nominis illius immortalitati trophœū inclytum: sic ipse cineribus suis viuens splendidum, ac superbum Mausoleum erexit in occidentali Ecclesiæ memoratæ parte, operâ Sculptoris eximij Bartholomæi Ammanati Florentini. In mediâ câ mole talia leguntur.

MAR-

MARCVS MANTVA
BENAVIDIVS
PATAVINVS IVRISCONSVLTVS
IO: PETRI MEDICI FILIVS
SACRI LATERANENSIS PALATII
AVLÆQVE IMPERIALIS
COMES ET EQVES IVRIS PONTIFICII
SVPRAORDINARIVS
EX PRESENTIBVS FVTVRA PROSPICIENS
PRÆTER CÆTERA
MAVSOLEVM HOC SIBI VIVENS
FIERI CVRAVIT
MENSE MAIO M. D. XLVI.

In basi verò, quæ sequuntur.

VIXIT ANNOS LXXXXII. MENSES.
IV. DIES VIII.
SEXAGINTA PVBLICE DOCVIT
PROXIME VERO
A SENATV SVPRAORDINARII
MVNERE DONATVS
OCTO INTERMISIT.
OBIIT QVARTO NONAS APRILIS
M. D. LXXXII.

Scripsit

Scripsit

*Collectanea super Ius Cæsareum, quod manè explicatur.*
*Apoplegmata legalia septingenta.*
*Consiliorum Tomos duos.*
*Problematum legalium libros quattuor.*
*Topica.*
*Isagogicas rationes ad tollendos argumentorum nodos.*
*Encomium Sacerdotij.*
*Suasoriam legis Oppiæ ad compescendum muliebrem cultum.*
*Scholia ad L. Precibus C. de Impub.*
*Centuriam Praxis Iudicialis.*
*Obseruationum legalium libros X.*
*Polymathiæ libros XII.*
*Enchiridium rerum singularium.*
*Iuris prælectiones.*
*Dialogos de varijs sensibus diuinarum, humanarumquè literarum.*
*De Illustribus Iurisconsultis.*
*Locorum Communium libros III.*
*AEquilibrium, præstantissimum opus, pro iure Candidandis.*

*Tractatum de legitima filiorum.*
*De Liberationis, & Libertatis fauoribus.*
*De Priuilegijs militaribus.*
*De Pupillorum fauoribus.*
*Lecturas super Ius Canonicum.*
*Lecturas super Quattuor partes Iuris Ciuilis de mane.*
*Bassanellum.*
*Areopagitam.*
*Et Grosariam.*
*Del Duello.*

Ima-

Imago eius petita eſt ex vnâ Numiſmatis eius parte, quod inferiùs exhibetur, exiſtentibus in alterâ literis M. L. & paruâ Lunâ cum his alijs etruſcis verbis.

*Figura è del ſuo cor, che non ſi intende.*

Philippus verò Gallæus inſigniter hallucinatus eſt, cum pro MARCO MANTVA, Marcum Guazium effictum dedit. Adijciam hic monumenta quæppiam ex multis, quæ in laudati Viri Palatio ab eo poſita ſpectantur. In fronte Atrij occurrit Triumphalis Fornix his notis.

ID FACERE LAVS EST QVOD DECET
NON QVOD LICET.

In dextro latere Coloſſus eſt Herculis XL. pedum, Bartholomæi Ammanati ſuprà laudati opus, cum baſi, vt ille aſſerit, literatâ.

HER-

HERCVLES PVPHILOPONVS
BESTIARIVS
QVI TRISTITIAM DEPVLIT OMNEM
PERAMPLO HOC SIGNO
MANTVÆ CVRA
REFLORESCIT.

Coronæ Portarum omnes præseferunt illa Apollinis Mantuani ex primâ Eclogâ.

DEVS NOBIS HÆC OTIA FECIT.

MAR-

MARCI MANTVÆ
PRÆCLARISSIMI I. C.
NVMISMATA OPERA IOANNIS CAVINII
SCVLPTORIS PATAVINI








BERNARDINVS SCARDEONVS PATAVINVS
*Canonicus, et patriæ Historiæ Scriptor*

# BERNARDINVS SCARDEONIVS

PAtauinus Canonicus, Vir pietate, moribus, eruditione, vitæ exceſſu, virtutibus omnibus perinſignis, & in cumulandis Patriæ monumentis diligentiſſimus. Abdicatis rerum humanarum curis ſoli Deo incorruptam mentem, ac penè diuinam ſemper inflexam ſeruauit. Annis primùm XXXIV. ſacris Virginibus Cœnobij S. Stephani moderator, ac noxarum expiator extitit. Inde Canonicus electus, Librum à primâ iuuentâ cœptum, *De Antiquitate Vrbis Patauinæ, dequè Claris eiuſdem Ciuibus*, ad vmbilicum perduxit, & typis demandandum curauit viuens. Fuit illi ſanè perhonorificus is labor, & Patriæ gratus. Siquidem in eo multa bonâ fide digeſſit, eademquè mirâ elocutione legenda Poſteris conſignauit. Elogiorum eius omnium inſtar erunt, quæ MARTINVS SANDELLIVS Vir eruditiſſimus ſcripſit. Obijt Ætatis anno XCVI. eâquè in Eccleſiâ ſepulturæ honorem meruit, in quâ diuini ſui cultus præcipua monumenta reliquit. Sub eius Effigie inibi pictâ hæc extant, in interiori meridionali parte.

BERNARDINO SCARDEONIO
CIVI ET CANONICO PATAVINO
RARÆ INTEGRITATIS ATQ. ERVDITIONIS
VIRO.
QVIPPE QVI CÆTERIS
CHRISTIANO SACERDOTI DIGNIS
VIRTVTIBVS FIDEM CONCILIANTIBVS
ILLIBATVM VIRGINITATIS FLOREM
AD VLTIMAM VSQVE SENECTAM
ATTVLISSE CREDITVS SIT
CVIVS CHARITATI
ATQVE INDVSTRIÆ
HÆC PATRIA
ANTIQVITATE AC RERVM GESTARVM
GLORIA INCLYTA
ACCEPTAM REFERT MONVMENTORVM
SVORVM MEMORIAM AB INTERITV
VINDICATAM
SACRÆ VIRGINES AD D. STEPHANI
QVIBVS ILLE TOTOS XXXIV. ANNOS
A SACRIS CONFESSIONIBVS PRÆFVIT
PARENTI OPTIMO ET PIENTISSIMO
HOC GRATI ANIMI MONVMENTVM
VNANIMES POSVERE.
PROCVRANTIBVS
MAGDALENA VERCELLENSI ANTISTITA
MARTINO SANDELLIO CONFESSARIO

Su-

Suprà ſaxum, vbi eius oſſa quieſcunt, in eâdem D. Stephani Eccleſiâ talia leguntur.

BERNARDINVS SCARDEONIVS
CAN. PATAVINVS
VITÆ CANDORE PRÆSTANTIAQVE
DOCTRINÆ CONSPICVVS
HIC QVIESCERE IVSSIT VBI ANNOS
XXXIIII. ANIMIS MONIALIVM
REGENDO LABORAVIT.



VIXIT ANNOS X CVI.
OBIIT ANNO M. D. LXXIIII.
DIE XXIX. MAII.

Latinè ſcripſit

*De Antiquitate Urbis Patauinæ, & Claris Ciuibus Patauinis libros III. in quindecim Claſſes diſtinctos.*

*De ſepulchris inſignibus exterorum Patauij iacentium.*

*De Caſtitate lib. VII.*

Italicè

*La Naue Euangelica, opera Spirituale indrizzata alle Madri di S. Stefano.*

*Nec non & Conſolatorium opuſculum. Prætereà Typis conſignandum curauit Librum de ratione benè moriendi. Petri Baroci Epiſcopi Patauini, & ſpirituales quaſdam preces ad petendam pluuiam, & ad arcendam tempeſtatem, quibus Præfationem de ſuo adiecit.*

## BERNARDINVS TRIVISANVS

CIuis Patauinus, vir læti vultus, animique candore conspicuus, filius fuit MARCI Triuisani CL. Medici. Adeò excellenti ad literarum studia factus ingenio fuit, vt annos vix decem, & octo natus, nec adhuc lauream assecutus, summâ tamen cum sui laude Logicam Salernitanâ in Vrbe publicè sit professus. Post hæc Patauij Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, suadentibus agnatis & amicis declaratus, Logicæ primùm, deindè Simplicium interpretandorum prouinciâ susceptâ, maximum virtutis suæ specimen dedit. Hinc Medicinæ Theoricæ extraordinariæ explicator electus, eam Spartam duodecim annos magnâ cum celebritate nominis adornauit. Tandem Medicinæ Theoricæ Ordinariæ Cathedram adeptus ob merita, collega *Bernardini Paterni*, gloriam eiusdem, ac meritum æquauit, & vicit. Grauissimis rerum familiarium oneribus assiduè pressus nullum aliud ingenij sui monumentum post se relinquere potuit, præter Lectiones ipsas,

quas

quas publicè habitas Discipuli descripsêre. Senio confectus functus est vitâ anno Domini CIↃ. IↃ. LXXXIII. Ætatis. LXXVII. & in Ecclesiâ S. Stephani, à Riccobono inibi publicè celebratus, humatus est, Epitaphio nullo.

IACO-



IACOBVS ZABARELLA PATAVIN.
PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

# IACOBVS ZABARELLA.

NObilis Patauinus, natus anno ſalutis CIↃ. IↃ. XXXIII. Nonis Sept. horâ ferè dimidiâ poſt meridiem, patre IVLIO Comite Palatino, Matre ZILIOLA, filiâ Hieronymi Doctoris, coniugibus ſpectatiſſimis, & ex præclariſſimis familijs noſtræ Vrbis. Iuuenis maximo ingenio præditus facili labore variarum Rerum, & Scientiarum cognitionem hauſit. Ad Eloquentiam primùm, & Græcas literas naturâ duce ferri viſus eſt: dein ad Logicam, & Mathematicam facultatem, qnòd ijs in ſtudijs mirâ felicitate proficiens, haud obſcurum ſuæ propenſionis ſpecimen daret. Ad Eloquentiam Io. Faſeolum Patauinum, & Franciſcum Robortellum Vtinenſem: ad Logicam Petrum Arquanum, & Bernardinum Tomitanum: ad Mathematicas Petrum Catenam, & Franciſcum Barocium præceptores adhibuit, Viros planè doctos, eximios, & in eâ, quam profitebantur, ſcientiâ ſingulares. Opticam etiam, & Aſtrologiam in delicijs habuit, cuius mihi teſtes prædictio-

dictiones ipſius variæ, quæ iam ſuos euentus feliciter ſortitæ ſunt. Philoſophiæ demùm, tùm Naturali, tùm Morali, & ei in primis, quæ Peripatetica nominatur, ſe totum adiunxit, MARCO ANTONIO Genua Patauino duce. In patrio Lyceo anno CIↃ. IↃ. LXIV. Logicam initio profeſſus eſt, & *Bernardino Tomitano* præceptori ſucceſſor datus non eam modò publicè annis XV explicauit, ſed & Tabulis, ac Commentarijs vberrimis facilem adeò reddidit, vt omnes tanti Viri ingenium raperet in admirationem ſui. Traductus inde eſt ad ſecundam Extraordinariæ Philoſophiæ ſedem, Collega datus *Arcangelo Mercenario* Picenſi: nec multò poſt primæ paritatem obtinuit, primam demùm ipſam, à quâ gradum ad ſecundam Ordinariæ facultatis eiuſdem, ſtipendijs auctis, fecit. Quare Logicâ dilucidatâ, Philoſophiam vniuerſam varijs Interpretum opinionibus inuolutam, reconditæ Græcorum Codicum lectionis ope, mirum in modum illuſtrauit: præclaros Commentarios in Ariſtotelem edidit, & difficiliores nodos perfacili methodo diſſoluit. Vxorem habuit

S Eliſa-

Elisabetham filiam sapientis viri Io: CAVACIAE, quæ nouem illi liberos peperit, & in his mares sex: Iulium Primogenitum Mathematicum insignem nobis alibi commendandum, Franciscum, Antonium, Ioannem, Carolum, & Sabbadinum; filias verò Iustinam, Arseniam, & Zabarellam. Quibus omnibus ex Natali syderum constitutione vitam, & euentus (quatenus per artem licet) antèquàm interiret, prædixit: facemque prætulit incorruptæ gloriæ, & virtutis veræ, suo cunctis exemplo prælucens. Multiplicis omnino lectionis, & linguarũ multarum amator extitit, vultu spectabilis, & capite ijs in partibus, quæ oculos inter & aures sitæ sunt, venarum pleno. Nactus est Mercurium feliciter stantem, quam ob caussam celeres ingenij motus, & ad quæuis excogitanda faciles, & expeditos habuit in omni vitâ. In Patriâ primos honorum gradus semper adeptus est, nec rarò boni publici gratiâ apud Serenissimum Senatum Venetum orauit, à quo singulari amore cultus, præter publica stipendia, etiam mille aureos pro Zabarellâ filiâ promissos tulit,

sicuti

ſicuti antiquitùs idem Eminentiſſimus Senatus tantumdem Marco Antonio Genuæ pro filiæ dote donauerat. Vocatus humaniter à SIGISMVNDO Poloniæ Rege natalis ſoli dulcedine parere renuit, nuncupatis eidem Commentarijs Logicæ facultatis. Pater Academiæ STABILIVM Patauij fuit. Comes etiam Palatinus, vti Primogenitus IVLII Zabarellæ, in quem id honoris contulerat Iulius pater, cui FERDINANDVS I. Imperator priuilegium Iacobo Patri à MAXIMILIANO conceſſum confirmauit, & vt primogenitus huius ſtipitis Comes Palatinus eſſet, ſanciuit. Voluente fato migrauit è vitâ anno ſalutis CIϽ. IϽ. LXXXVIIII. Menſe Octobris: Ætatis verò ſuæ LVI. & in Eccleſiâ D. Antonij, publicè celebratus ab Antonio Riccobono, in Delubro S. Catharinæ propè Maiores ſuos conditus eſt, nullâ, quod obſeruare potuerim, memoriâ clarus. Apud hæredes eius IMAGO extat, cuius vnâ in parte viſitur Liber inſcriptus his notis ſub ipſius manu.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ ΑΠΑΝΤΑ.

Hoc eſt.

ARISTOTELIS OMNIA.

In alterâ EMBLEMA Gordiani nodi Aræ impoſita, cum huiuſmodi inſcriptione.

Η ΝΟΩ Η ΒΙΑ.

AVT INGENIO AVT VI.

Itâ planè, vt hic à me publicè exhibetur.







Opera;

Opera, quæ confecit, sunt.

*Tabulæ Logicæ.*
*De Naturâ Logicæ libri II.*
*De Quartâ figurâ Syllogismorum liber Vnus.*
*De Methodis Libri IIII.*
*Apologia de Doctrinæ ordine, libris duobus comprehensa. inquâ obiectionibus Piccolominei satisfecit.*
*De Conuersione Demonstrationis in Definitionem Liber I.*
*De Propositionibas necessarijs libri II.*
*De speciebus Demonstrationis lib. I.*
*De Tribus Præcognitis liber I.*
*De Medio Demonstrationis libri II.*
*Commentarij in libros duos Analyticos Posteriores.*
*De rebus Naturalibus libri Triginta. Hoc est de Naturalis Scientiæ constitutione liber I.*
*De Primâ rerum Materiâ libri II.*
*De Naturâ Cæli liber I.*
*De Naturâ liber I.*
*De Jnuentione AEterni Motoris liber I.*
*De motu Grauium, & Leuium libri II.*
*De motu ignis in orbem liber I.*

De

*De Constitutione Indiuidui lib. I.*
*De Reactione lib. I.*
*De Mistione lib. I.*
*De Qualitatibus Elementoribus libri II.*
*De Regionibus aeris libellus.*
*De Calore Cælesti lib. I.*
*De Misti generatione, & interitu libri III.*
*De Facultatibus Animæ liber I.*
*De Accrectione, & Nutritione lib. I.*
*De Sensu agente lib. I.*
*De Visu libri II.*
*Da Partitione animæ lib. I.*
*De communi rerum generatione, & interitu liber I.*
*De Mente humanâ lib. I.*
*De speciebus intelligibilibus liber I.*
*De Mente agente lib. I.*
*De ordine intelligendi liber vltimus.*
*Commentarij vberrimi in libros Physicorum Aristotelis.*
*Commentarij in libros de Animâ.*

## MARCVS ODDVS.

PAtauinus, patrem ODDVM, de quo ſuprà nonnihil attigimus, imitatus, Philoſophiam, & Medicinam enixè coluit, quarum deinde ductu præclariſſima ingenij monumenta edidit, perpetuo ſui, & Patriæ ornamento. Vir enim optimis moribus, & eruditione ſingulari clarus, cum à præceptore patre mira medicæ facultatis arcana didiciſſet, totum ſe curandis ægrotis addixit, eoquè in munere, vrbanitate, humanitate, diligentiâ cœteros omnes longè ſuperaſſe fertur. Quamobrem nominis illius fama non ſolum per omnes Lombardiæ oras peruagata eſt: ſed & Italiam vniuerſam ODDI admiratione compleuit. In patrio Lyceo, ſummo applauſu, Medicinæ Theoricæ Cathedram, BERNARDINO TRIVISANO ſuccedens, aſſecutus eſt, vnde ſibi viam ad Practicæ Ordinariæ faſtigium ſolidè communiuit. Siquidem ad illam euectus, ſarta ſemper, & tecta nominis, & virtutis ſuæ famâ, ſenectam in eadem vltimam conſumpſit. Patris immorta-

litatis cousulens præclara illius opera absoluit, & in lucem edidit; nec idcirco se à lucubrationibus proprijs abdicauit. Nam, & ipse Opuscula multa digna cedro condidit. Ex quibus hæc habemus edita: *Methodum componendorum medicamentorum, & aliorum diudicandorum. Libellum de Vrinis: & Apologiam de Putredine aduersus Argenterium.* A ciuibus varia munera sibi tradita, perhonorificè gessit, ac tandem Domi Dei Prior datus, senio potiùs, quàm incommoda valetudine sublatus est, ætatis anno LXV. & in Ecclesiâ S. Danielis propè Maiorum suorum cineres, absque vllâ memoriâ collocatus.

ALBER-

# ALBERTINVS BOTTONVS

EX cognomine familiâ Parmæ perilluſtri, & Oppidorum duorum dominâ originem duxit. Inde ſcilicet Viri domi, foriſquè clariſſimi armis, & literis cunctis ferè temporibus prodiere; inter quos præ cæteris effulsêre OBELERICVS, GENTILIS, & BERNARDVS, qui Summi Romani Pontificis Auditor in Decretalia ſcripſit, ſupremiquè Iudicis, & Cancellarij titulo Bononiæ præfuit. Patauium igitur translata BOTTONA familia, omnibus ornamentorum generibus exornata, tres ibi gloriæ ſuæ propagines egit, ſcilicet ALBERTINVM noſtrum cum duobus fratribus Bernardo, & Nicolao. BERNARDVS à Sereniſſimo Venetorum Senatu, Equeſtribus Reipublicæ ſuæ copijs Præfectus, mox ad eiuſdem fines Auſtriaco proximos recognoſcendos miſſus, armis hinc inde poſitis, motus omnes prudentiâ ſuâ tantùm, & animi moderatione ſedauit. NICOLAVS non tàm Iuris vtriuſquè cognitione claruit, quàm ſingularibus probitatis, fidei, & religionis or-

namentis Iuris ipsius prudentiam exornauit. ALBERTINVS verò omni ferè virtutum genere decoratus, vtrumquè fratrem non æquauit modo, sed vicit. Fuit is valetudinis optimæ, staturæ mediocris, ingenij validi, laboribus, & studijs accommodati. Medicâ, & Philosophicâ Laureâ insignitus, Logicam primùm in Patauino Gymnasio sexennio interpretatus est. Anno dein CIↃ. IↃ. LV. Ioanni Antonio Experti Patauino successit, Collegas nactus Bernardinum Tomitanum, & Petrum Mariam Arquanum, viros omni Laude & Elogio maiores. Hinc Cathedram Medicinæ practicæ extraordinariæ principem assecutus, eam cum aliquot annorum spatio sedulò tenuisset, ad alteram ordinariæ Theoricæ in paritate primæ incredibili omnium (qui tùm Patauij ei facultati operam dabant) animi voluptate conscendit. Talem enim eâ in sede, qualem se promiserat, gessit, vt facilè comprobarit, aptiorem ad eam neminem eligi, imò, nec optari vllo vnquàm tempore potuisse. Senex obijt anno à Christo redempto CIↃ. IↃ. LXXXXVI, & ingentes opes, nec

non

non & magnificas ædes Nepotibus; Opera verò præclara in lucem edita, & vbiquè probata Ciuibus suis, & Exteris reliquit. Sepultus est vnà cum suis in Ecclesiâ Patrum Eremitarum. In Palatio, quod condidit antè laudatam Ecclesiam, hæc leguntur.

ALBERTINVS BOTTONVS
PATAVINVS IN PATRIO GYMNASIO
THEORICÆ MEDICINÆ INTERPRES
ORDINARIVS SVORVM MAIORVM
ÆDES
VETVSTATE CONSVMPTAS
A FVNDAMENTIS RESTITVIT
ANNO DOMINI
M. D. XCI.

Libros

Libros hoſce condidit, & euulgauit

*Libros tres de Morbis Muliebribus.*
*De Vitâ conſeruandâ librum vnum.*
*De ratione conſultandi in rê medicâ librum vnum.*



NVMISMA
ALBERTINI BOTTONI
CLARISSIMI
MEDICI
PATAVINI.



## BERNARDINVS PATERNVS

SAlodienſis, vir inæqualibus humeris, vno nempè altero eminentiore, ac inuenuſtâ facie, inquâ naturâ factus, morum ſuauitate percarus extitit. Cum ad Medicam artem ( vt ſua cuiquè innata ſunt ſtudia ) ſuâ ſponte tenderet, ad eamdem etiam toto pectore ſe ſe contulit allectus exemplo Patris. Florente adhuc ætate Theoremata Medica, & Philoſophica Venetijs, Veronæ, Patauij publicæ diſcuſſioni propoſita, ſingulari Eloquentiâ, & Eruditione mirabili propugnauit. Poſthæc in Piſanum Gymnaſium accerſitus, Medicæ facultatis interpres ab omnibus ad vnum illum vndequaquè confluentibus mirificè colebatur. Theoricam ad hæc Ordinariam Medicam in Montis Regalis Academiâ docuit, & eandem in Ticinenſi Vniuerſitate non obſcuris ingenij, & doctrinæ notis profeſſus eſt. Romam profectus apud MARINVM GRIMANVM S. R. E. Cardinalem degit, qui cognitâ virtutum eius præſtantiâ, & candore morum, vltrò eum ad ſe ſe vocauerat,

uerat, & domum suam aperuerat venienti. A FRANCISCO VENERIO Philosopho per insigni Prætore Veronæ ità dilectus est, vt eius opera absens in Veronensium ciuium numerum fuerit cooptatus. Discessit tum ex Vrbe PATERNVS, vt Veronensibus gratias ageret, cum in itinere sibi delatum Serenissimæ Reipublicæ Venetæ decreto Medicinæ Theoricæ locum in almo Patauino Gymnasio reperit ingenti cum animi voluptate, quippe qui laborem, & industriam suam in Athenis illis Italis longè clariorem, & vtiliorem fore præsenserat, vt optimè comprobauit euentus. Vir fuit incredibili studio à varijs vltrò Principibus expetitus. A STEPHANO sanè BATHORAEO Poloniæ Rege nihil intentatum relictum est, vt eum ad sese traduceret, cuius operâ sibi, ac suis consultum iret. At ille ab itinere longè abhorrens, quietem propositis præmijs, & honoribus antetulit, felicius sibi fore ratus, extremum halitum inter alumnorum suorum amplexus domi, quàm inter diuitias apud aduenas foris emittere, quod ei contigisse fertur anno salu-

tis CIↃ. IↃ. LXXXXII. quo ſenio grauis viuere deſijt, quamuis editis in Operibus adhuc viuat, & his in primis.

*Tractatu vno de Humorum purgatione in morborum initijs tentandâ.*

*Tractatu altero, quo probatur Cœnam vberiorem eſſe debere prandio.*

*Explicationibus in Primam partem Primi Canonis Auicennæ.*



HIERONYMVS MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS MEDICVS.

# HIERONYMVS MERCVRIALIS

EXimius Medicinæ professor, natus est anno à Virgineo partu ↀ. ꟾↃ. XXX. pridie Kal. Octobris, die D. Hieronymo sacro, cuius & nomine parentes, rerum quasi interpretes futurarum, tàm felicem partum cohonestarunt. Ioannem Mercurialem, & Camillam ex Pungectorum familiâ Foroliuio vetustissimâ, & amplissimâ ciuitate, oriundos, parentes habuit, non tàm nobiles, quàm honestos, & famosis, fumosisquè Maiorum imaginibus claros. Primos in Græcæ linguæ, ac Philosophiæ naturalis cognitione progressus habuit, eosquè tales, vt Philosophiæ, nec non & Medicinæ Laureâ decoratus in Patauino Musæo, reuersus in Patriam Medicam artem exercere cum laude, & vtilitate cæperit, assiduus adeò in curandis ægritudinibus, & diligens in euoluendis Græcorum Philosophorum, ac Medicorum libris, vt ab omnibus non MERCVRIALIS; sed Mercurij filius salutaretur. Sub hæc ferè tempora Foroliuienses adolescentem illum Legatum ad PIVM IV.

Sum. Pont. elegêre. Romam cum venisset, Theatrum illud Orbis statim eius virtutes, ac eloquentiam admirari cœpit, & ex Purpuratorum numero Mœcenas literatorum optimus ALEXANDER FARNESIVS S. R. E. Cardinalis eum natum annos XXXII. reparatæ salutis anno CIↃ. IↃ. LXII. in Aulæ suæ decus recepit. Septennio Romæ confecto à Serenifs. Senatu Veneto in Patauinum Lyceum ad Medicinæ Cathedram peramplo honorario accersitus est, ibique defuncto *Antonio Fracantiano* Vicetino, Æsculapio seculi, principem Medicinæ Practicæ interpretandæ locum obtinuit. Eo in munere ità voce valuit, & quantâ ingenij præstantiâ polleret expressit, vt eius opera in lucem edita nequaquàm nomen eius, & famam auxerint; sed æternitati tantummodo consecrarint. Ea tempestate rogatus ab Imperatoris MAXIMILIANI II Nuntijs, vt Cæsaris incolumitati periclitanti occurreret, impetratâ eò se conferendi facultate Seren. Republicâ Venetâ, iter ingressus est, Hygia dextrâ Cæsari adstitit, medicâs manus adhibuit, & pristinam valetudinem reddidit.

Cessit

Cessit ea res MERCVRIALI vtiliter, & honestè. Nam & maximis præmijs, & laudibus & honoribus, ac in primis Comitis, & Equitis dignitate auctus, ab Imperatore discessit. In Gymnasio Patauino, anno duodeuiginti docuit: Bononiam etiam maximis stipendijs accersitus, inibi aliquandiu vixit. Magno tandem Etruriæ Duci negare minimè potuit, quin Pisis preciosissimas doctrinæ suæ gemmas Romæ, Patauij, Bononiæ xxx. annorum spatio elaboratas industriâ, & ingenio perfectas publicè explicaret, accepturus initio in annuam mercedem mille septigentos aureos, cum Patauij octogentis, Bononiæ mille ducentis professus esset; alijs verò proximè consequentibus annis duobus millibus exornandus. At ecce conditionem humanæ sortis fragilem, & acerbam. Siquidem reuersus in Patriam, vt eius dulci aspectu animum recrearet, morbo tentatus & victus, triste sui desiderium Medicinæ reliquit, & vniuerso Orbi anno CIↃ. IↃ. CVI. XIII. Idibus Nouembris, & in D. Mercurialis Sacello, quà picturis, quà statuis exornato, sepultus est.

Pom-

Pompam ei funebrem apparatu insigni Maximilianus filius apparauit; imò Medicorum Senatus omnis mœrens, & atratus duxit. At viuit, & æternùm viuet Mercurialis nomen, nec vlla de illo posteritas conticescet, quamdiù loquentur, quæ scitè scripsit, inter quæ præcipuè memorantur.

Varia-

*Variarum lectionum Libri IV. in quibus complurium, maximè verò Medicinæ Doctorum infinita propè loca, vel corrupta restituuntur, vel obscura declarantur.*

*Libri alij duo, argumenti eiusdem, quattuor Prioribus additi.*

*Ijdem omnes iterùm editi, recogniti, & aucti.*

*De arte Gymnasticâ libri VI.*

*De Morbis Cutaneis, & omnibus Corporis humani excrementis.*

*Tractatus ex eiusdem ore docentis excepti, & in V. libros digesti operâ Pauli Aicardi, quibus accessit.*

*Tractatus de Decoratione.*

*Explicationes de Pestilentiâ à Hieronymo Zaccho exceptæ, & in Capita distributæ.*

*Hippocratis Opera omnia Græcè, & Latinè edita, ac Scholijs illustrata ab eodem.*

*Censura, & Dispositio operum Hippocratis locupletior.*

*De Morbis Puerorum.*

*De Venenis, & Morbis venenosis Tractatus locupletissimi ex eiusdem ore profecti, & in tres libros digesti opera Alberti Schelgij.*

*Gale-*

*Galeni Opera Latinè reddita, & emendata.*
*De Morbis muliebribus liber.*
*Responsorum, & Consultationum Medicinalium Tomus I. à Michaele Columbo collectus.*
*Responsorum Tomi alij III.*
*Tractatus de Componendis Medicamentis.*
*De Morbis oculorum, & aurium.*
*Prælectiones Pisanæ.*
*Prælectiones Patauinæ de cognoscendis, & curandis humani corporis affectibus in libros V. digestæ opera Gugielmi Athenij.*
*In II. Epid. Hippocratis prælectiones Bononienses.*
*In Aphorismos Hippocratis.*

## IOANNES TAISNERIVS

HAnnonius in Belgio natus præclarissimi ingenij, ac eximiæ memoriæ Vir scientiarum rationes, summosquè apices complexus, ad Musicam tandem & diuinatrices artes colendas omni studio se conuertit. Itaquè diuinandi munere ex manuum lineis temperamenti signa, & animi, characteres varios colligebat, &, spretis geniturarum laboriosis supputationibus, ignaras curiosorum mentes, rerum suarum sciscitantes euentus, vaticinijs circumducebat. Iamquè Viri quoquè grauissimi fide prædictionibus illius haberi coeptâ, ei typos manuum suarum lineis effigiatarum vndiquè demandabant, & ab eiusdem ore, vt de priuatis rebus statuerent, pendebant. Romæ, & Ferrariæ hospes Mathematicas publicè cum doceret, audientium coronâ sepiebatur, quos etiam priuatis in ædibus ijsdem artibus erudiebat. In aulâ CAROLI QVINTI Cæsaris Regios pueros primâ pædiâ, & eruditione instituit, eundemquè Cæsarem secutus in Africam, expeditione Tune-

tensi, Siciliam, & Melitam Insulas oculis lustrauit. Tandem peregrinationis tædio captus, varijs Tractatibus conscribendis se totum addixit: & vno Volumine quæcumquè Chiromantiam attingerent complexus est. At crescente illo in vastam molem factum est, vt studentium animos defatigarit, quos sibi proposuerat erudiendos tantùm. Senex è vitâ decessit à I. Fontano tali sepulchrali Elogio celebratus.

TEISNERVS *iacet hic, paruâ resupinus in Vrnâ*
*Qui vaga, dum vixit, sydera transilijt.*
*Quò non dexteritas, quò non prænobile magni*
*Pertigit ingenium, cura, laborquè viri?*

Scripta

Scripta ab eo, quæ circumferuntur, sunt.


*Opus Mathematicum libris octo descriptum, adiectis innumeris figuris idealibus manuum, Physiognomiæ & alijs, quorum sex priores Chiromantiæ Theoricam, praxim, artem, & experientiam:*

*Septimus Physognomiæ dispositionem:*

*Octauus Periaxiomata de faciebus signorum docent.*

*De Motu aduersus Philosophum.*


*De Naturâ Magnetis, & de Nauigande vsu.*



SYMBOLVM
IOANNIS TAISNERII
PRÆCLARISS.
MATHEMATICI.




ALE-



ALEXADER MASSARIA VICENT.s
PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

# ALEXANDER MASSARIA

VIcentinus, validæ conſtitutionis Vir, & ad ſtudiorum labores omnes perferendos accommodatiſſimæ; quibus factum eſt, vt, cum ad Philoſophiam, ac Medicinam perdiſcendá vires omnes tùm animi, tùm corporis intendiſſet, breui tempore, poſt ſe relictis facultatum earumdem ſtudioſis, apicem illarum attigerit ſummâ cum hominum admiratione, & fructu. In Patriâ primùm Medicinam exercuit, & in Olimpicâ Academiâ omnium Italiæ florentiſſimâ Anatomen, & Ariſtotelis Meteora, maximo nobilium & ignobilium concurſu, profeſſus eſt. Indè virtutum eius ſe ſe longè, latèquè propagante famâ, à potioribus Sereniſſimæ Reip. Venetæ Proceribus accitus, Venetias adijt, vbi libros, quos *de Peste* graui, & eleganti ſtylo conſcripſerat, protinus euulgauit. Felix in Patriâ, in quâ ingenij nobilitatis, ac eloquentiæ ſpecimen haud obſcurum dederat, Venetijs felicior fuit; ſummâ apud omnes Vrbis amplimæ Ordines in veneratione habitus. Opes ibi quoquè

quoquè maximas sibi peperit cum ingenti gloriâ, nec non & principem in Medicorum Collegio locum facilè comparauit. Eâ re MERCVRIALI, qui tunc temporis in Academiâ Patauinâ primam Medicinæ practicæ cathedram exornabat, Bononiensibus concesso, ALEXANDRO nostro cathedra eadem, Serenissimæ Reipublicæ decreto, demandata est. Adeoquè strenuè se in illâ gessit, vt ad Medicæ facultatis arcana depromenda natus, dimissus è Cælo veriùs videretur. Patauij domum amplam, & insignem coluit, quam eleganti supellectile instructam Viris doctrinâ & virtute præditis, amicis præsertim, & aduenis secum esse communem, & patentem perpetuò voluit, raro exemplo. Quò demùm feruidi, Viri spiritus, validæquè virtutes euaserint, vel ex eo liceat coniectare, quòd cùm biennio, antè quàm è viuis excederet, Scholarē sibi docenti identidem obstrepentem semel, iterùm, ac tertiò frustrà obiurgasset, domum rediens, irâ iustâ percitus baculo è lignorum strue, in quam casu inciderat, statim arrepto impetum, in illum sui asseclam fecerit, ac stupentibus

cun-

cunctis eundem mirabili animaduersione contuderit, Posteris reliquens exemplum, quomodò eorum, qui in Scholis intempestiuè insolescunt petulantia sit coercenda. Senio fractus ijt ad plures maximo cùm mœrore omnium, anno salutis CIↃ. IↃ. IIC. Et in templo D. Antonij locum sepulcri habuit, sed ignauia suorum memoriam nullam.

Scripsit

*Libros accuratissimos de Peste.*
*Aduersus Saxoniam de abusu Medicamentorum Vexicantium, & Theriacæ in febribus pestilentibus vsu, quibus cum respondisset Saxonia.*
*Disputationem alteram Apologeticam edidit aduersus libros eiusdem de Phœnigmis.*
*Practicam Medicam.*
*De Renum, & Vesicæ affectibus.*
*Tractatum de Pulsibus.*
*Tractatum alterum de Vrinis.*
*Consultationes duæ in febri Catarrali Illustriss. cuiusdam Antistitis.*
*Librum Responsorum, & Consultationum Medicinalium.*

TOR-



TORQVATVS TASSVS BERGOMAS
ETRVSCORVM POETARVM DECVS

Y TOR-

# TORQVATVS TASSVS

BErgomas ex Patre Bernardo præſtantiſſimo viro, & Portiâ de Rubeis ortus, Italicæ linguæ Decus, Heroicorum Poetarum Princeps, ob incomparabilem diuini ingenij Virtutem, multis monumentis editis declaratam, iure ac merito ſe ſe mihi celebrandum offert, vt, quemadmodum effigie ſuâ ſingulare Muſei noſtri ornamentum exiſtit; ſic & virtutum ſuarum ſplendore maius lumen libris hiſce noſtris accendat. An non enim in te, TORQVATE TASSE, Etruſcorum Poetarum Ideam, omnes oculorum ſuorum acies intendunt: omnes te celebrant: tuaquè geſta, ac diuina opera admirantur! Sed heù aduerſam ijdem etiã fortunam tuã deplorant, & effuſis vbertim lachrymis proſequuntur. At, cum Vitam Vatis huius omnem Italicè conſcripſerimus luculentè, ſat hic habebimus ſumma quædam illius capita delibaſſe, in gratiam Studioſorum Poeticæ facultatis. Natus eſt Torquatus Taſſus Surrenti in Regno Neapolitano, anno ſalutis CIↃ. IↃ. XLIIII.

IIII.

IIII. Idus Aprilis in Meridie. Infans, Patre bannito, exilij calamitates expertus Romam adijt, vbi à Mauritio Cataneo Rhetoricam, & Poesim hausit, varijsquè linguis instructus ludere aliquid, & canere tùm primùm coepit: sed ad Gymnasium Patauinum imperio patris proficisci iussus, vt Philosophiæ & Iurisprudentiæ operam daret; in vtrâquè plurimùm profecit. Cumquè ad Scientias omnes optimi ingenij ductu fereretur, in Theologiam etiam, & Mathematicas se immisit. Verùm enim verò totâ impellente naturâ ad Poesim raptus, in eâ, ingenij sui Idolo & oblectamento vnico, Iuuenis & Senex versatus est. Itaquè xx. ætatis anno æmulatus Ludouicum Ariostum, non incelebrem Vatem, Heroicum Poema edidit, cui Titulus, *Il Rinaldo*, idemq; Aloysij Estensis Cardinalis nomini cõsecrauit. Hoc veluti fulgure suæ præstantis virtutis animi omniũ mirum in modum afflati sunt. Certatim Eruditi quiquè eius amicitiæ studere, eum amore prosequi nec visum. Inter cæteros Scipio Gonzaga, Romanæ postmodùm Ecclesiæ Cardinalis datus, Torquati amore, &

hoſpitio aulam ſuam ſtuduit illuſtrare. A varijs Academijs Italiæ expetitus, in Academia Æthereorum Patauij ſub Italico nomine, *Il Pentito*, varia, & innumera miri ingenij ſui Italico idiomate lineamenta toti Terrarum orbi ſpectanda præbuit. Dialogos quippe ſingulari eloquentiâ & eruditione refertos, Platonico more, Patauij confectos poſteris legendos publicis tabellis conſignauit. Diuinum ad hęc, & celeberrimum Poema, quod inſcripſit, *Il Goffredo, ouero la Gieruſalemme liberata*, in eâdem vrbe texere cœpit. Sed cum aſſiduis literis, ac Nuncijs Ferrariam vocaretur à Ser. ALPHONSO II. Duce, literatorum æui ſui maximo Mecęnate, eò tandem, anno ætatis XXII. profectus eſt; vbi exceptus ad inſtar laureati, & triumphantis Ducis, in vrbem illatus eſt. Ad eum Nobiles quiquè, Equites, & Principes conuolabant: dumquè per vias incederet, vel à minutâ plebe ſummis ad Cęlum vſquè laudibus extollebatur. Ferrariæ primam Carminum ſuorum partem publici iuris fecit. Mox Aloyſium S. R. E. Cardinalem Nuntiú à Summo Pont. GREGORIO XIII.

de-

destinatum in Galliam ,comitatus est, duplicemquè ex illâ peregrinatione fructum hausit. Nam & eximij Poetæ titulum ore CAROLI IX Galliæ Regis adeptus est: & varijs donis, ac honoribus à Principibus Galliæ cumulatus abscessit. Discessus ille Ferrariâ initium eius amorum fuit, & reditus augmentum. Statim enim fabulam Amintam lusit, publicè eo ipso anno datam. Anno xxx. lucem accepit Poema *Liberatæ Hierusalem*, Serenissimo Alphonso Principi nuncupatum. Iamquè videbatur felicitatis ipsius apicem attigisse TORQVATVS, cùm lætis tristia scæua miscere Fortuna cœpit. Rerum aduersarum initium ductum à morte patris. Habetur post odio, nec inimicitijs caret, cæsoquè strenuè inimico, carceri mancipatur, in quo melanconiam passus, parùm ab insaniâ abfuit, omniquè reliquo vitæ tempore melanconiâ, & malis cerebri affectibus vexatus est. Elapsus è carcere Ticinum adijt, ibiquè in Estenses Duces virus antè conceptum effudit. Annum agebat trigesimum sextum, cùm Ferrariâ repetitâ in Hospitali S. Annæ dilitissi-

gentissimè habitus est, adhibitis remedijs omnibus, vt ex omni morbo conualesceret, & sanitati pristinæ redderetur. Tandem anno XXXXII. Bergomates illum per Licinium Nuncium à Serenis. ALPHONSO contẽdere studuêre, sed frustrà. Vincentio siquidem Gonzagæ, Mantuæ Duci, concessus est. Egressus ex Hospitali dicto, Italiâ peragratâ, Neapolim secessit, patrimonioquè, quod perierat, acquisito, ibi sanus, ac felix degit vsquè ad tempora Pontificatus CLEMENTIS VIII. Tunc enim à CINTHIO Aldobrandino Cardinali, Pontificis Nepote, Romam accersitus est. Paruit. At ecce, dum illi Romæ Corona, & Laurea publicè præparatur, febris obstitit, quæ & terris abstulit tantum decus, ætatis anno LII. Salutis M D XCV. VI. Kal. Aprilis.

Sepultus est in Ecclesiâ S. Onufrij cum hac inscriptione.

D. O. M.

TORQVATI TASSI OSSA

HIC IACENT.

HOC NE NESCIVS ESSES

HOSPES.

FRATRES HVIVS ECCLESIÆ

POSVERVNT.

ANNO M. DC. I.

OBIIT ANNO M. D. XCV.

Aliud

Extat & hæc, illi à Iusto Ricquio concinnata.

HOSPES

Quiscumque es,
Si Musarum Hostis non es,
adsiste, & lege.

TORQVATI TASSI

Monimentum heic vide.
Nec vide tantùm, sed venerare, & cole:
Plura meretur, Pietas quàm possit tua;
Saltim, quod possis, merito, & libens dato.
Eheu sic perijt

MEL ILLVD CHARITVM
MEDVLLA MVSARVM
FLOS INGENIORVM.
Quid dicam vltra!

VLTIMVS NATVRÆ LABOS.

BONIFACIO CARD. BEVILACQVA

HEROI ÆTERNO

Cippum hunc, vtinam æternum
Ex Voto D. D.

L. M.

Scripsit

Italicè scripsit

*Il Rinaldo Poema.*
*Il Goffredo, ouero Gierusalemme liberata.*
*La Gierusalemme conquistata.*
*Le Sette Giornate della Creatione del mondo.*
*Il Torismondo Tragedia.*
*L'Aminta Pastorale:*
*Altri Poemetti, e Dialogi, come di Venere, d'Amore fuggitiuo, dell'Amore, dell'Amante, dell'Amato, e del Caualiero, della Gelosia, del Tempo, &c.*
*Canzoni, Sonetti, Madrigali, & altre Rime diuise in noue parti.*
*Nella prosa l'infrascritti Dialogi.*
*Il Messagiero dell'officio dell'Ambasciatore.*
*Forno primo, & secondo della Nobiltà.*
*Della Dignità.*
*Gonzaga del piacere honesto, & de piaceri publici, e priuati.*
*Paragone dell'Italia, e Francia.*
*Padre di famiglia.*
*Del maritarsi.*

Dell'Amor vicendeuole trà il Padre, & Figliuolo.
Mal piglio, ouero della Corte.
Il Segretario.
Il Siniscalco.
Manso dell'amicitia.
Beltramo della cortesia.
Il Rangone, ouer della Pace.
Il Cataneo de gli Idoli.
Del Giuramento falso.
Della Virtù Eroica.
Virtù feminile.
Molza dell'Amore.
Caualier amante.
Della Pietà amorosa.
Questione amorosa.
Conclusioni amorose.
Foras. Napolitano della Gelosia.
Della Gelosia.
Gioan Luca delle Mascare.
Della Fortuna.
Gonzaga secondo del giuoco.
Romeo del giuoco.
Poema Eroico libri cinque.

La Caualetta, ouero della Poesia Toscana.
Risposte, & Appologie à varie oppositioni delle sue opere.
Lettioni, & Orationi.
Del Dialogo trattato.
D. Angelo Grilo.
Il Conte, ouero dell'Impresa.
Volume di Lettere.
Discorso d'alcuni accidenti della sua Vita publicato da Monsignor Martino Sandelli Padouano.



# NVMISMA

# TORQVATI TASSI

## POETÆ CLARISSIMI.



## VALENTINVS NAIBODA.

COloniæ Agrippinæ natus, in Philoſophicis, ac Mathematicis ſtudijs facilè primas, Præceptor fuit ( Meurſio teſte ) RVDOLPHI SNELLI, qui Mathematicas diſciplinas cum linguâ hebraicâ copulauit. Mediocri, ſed prepingui corpore, cum iam Mathematicis dogmatibus animum excoluiſſet, vitæ ſolitudine delectatus, in occulta rerum naturalium arcana, ad quæ naturali Genio ducebatur, perſcrutanda totus intendit. Poſt quæ Genethliacis obſeruationibus addictus, mirum in modum Aſtrologiam iteratis experientijs, & excogitatâ faciliori ad hominum euentus præuidendos methodo, ſedulus illuſtrauit. Addidit & illius nomini immortalem famam violentæ mortis ſibi crudeliter imminentis occaſus multò antè præuiſus, vt aperiam infrà. Editis Commentarijs longè pulcherrimis in Alchabitium, & in Sphęram Sacrobuſti, Italiam peragrare cœpit, ac tandem poſt varia patriæ, facultatum, & Fortunæ diſcrimina Antenoris Vrbe potitus,

in

in eâ ſibi quieſcendum duxit. Hic in Ptolomęi Quadripartito VALENTINI, ſtimulis ingentibus æmulæ virtutis acti, vis & induſtria præcipuè deſudarunt, vt *Hieronymum Cardanum* eiuſdem operis Interpretem ſuperaret: genuinamquè Ptolomæi ſententiam aperire conatus eſt vberrimis Commentarijs ſuis. Aſſiduis vigilijs varia, tùm ad Theoricam, tùm ad Practicam Aſtrologiam ſpectantia, mandare literis inſigni labore, & operâ ſatagebat, ac deperditarum facultatum memoriam, nec non & vitæ ſuæ aduerſos caſus delere, vtcumquè poterat, ex animo nitebatur. Conſtat enim ſuis amicis ſignificaſſe non rarò, ſibi ex ferro ſubitæ mortis periculum imminere. Quò cum directiones infauſtæ acceſſiſſent, timore correptus illicò inter domeſticos parietes ſeſe penitus abditum occultauit. Annuali cenſu, ad D. Catharinæ, domicilium ſordidum incolebat, quod Anachoretarum more vitam ab omni, tùm amicorum, tùm aliorum conſuetudine alienam ſibi ſoli viuens quodammodo duceret, eaquè res illi voluptati foret. In hoc igitur VALENTINVS cibarijs, & vtenſili-

ſilibus alijs communitus, foribus firmiter oppeſſulatis abſquè famulitio latitans, mente contemplationi deditâ, vitam acerbam trahebat. Cum ecce domi Dominus de numis exigendis ab illo cogitat, & apparente nemine Prætorem adit, vt eius auctoritate clauſæ fores aperiri queant. Quod petit, impetrat, effriguntur à ſatellitibus fores, euolant ad ſuperiorem ædium partem, ibiquè fętens, & lacerum VALENTINI cadauer, haùd procul ab eo loco, in quo ſtudens ſedere conſueuerat humi iacere (triſte planè ſpectaculum) ſtupore defixi altiſſimo deprehendunt. Acclamantibus illis vndequâquè vicini, & amici confluunt, vixquè miſerum *Valentinum* cicatricibus, ac ſqualore mirificè deformatum lacrimantes agnoſcunt. Tanti ſceleris auctore penitus ignorato, crimen inultum ijt. Cauſa mortis, vt ex ſublatis ſcriptis nonnulli coniectant, non alia, quàm inuidia eorum fuit, qui ſe ab illo multis partibus ſuperari videbant in dies. Facinus atrox, nefarium, execrandum, cuius adhuc memoria apud eruditos noſtræ ciuitatis cum horrore viget. Monumenti honore

nore caruit, & eius quoquè facti caussa in tenebris latet.

SYMBOLVM

VALENTINI NAIBODÆ.




Scrip-

Scripſit

*Commentarios in Alchabitium.*

*Aſtronomicarum Inſtitutionum libros tres ad Principem Stephanum Batoræum.*

*In Ptolomæi Quadripartitum vberiores Commentarios, qui extant in Bibliothecâ Mantuanorum Ducum, vt habet Io: Antonius Maginus, in libro de Legitimo Aſtrologiæ vſu in Medicinâ, allato Commentario eius in Caput X. Apotelefmati Tertij Claudij Ptolomæi.*




GVIDVS PANCIROLVS REGINVS
IVRIS CONSVLTOR CLARISS.

## GVIDVS PANCIROLVS

REgiensis, quem ex illustri familia Pancirola patre ALBERTO Iurisconsulto natum, & ingenio singulari præditum, paterna gloria, veluti immortalitatis radius, ad ingenuas artes capescendas mirum in modum inflammauit. Cum igitur ex primis Rhetorices, ac Dialecticæ rudimentis viuida vis ingenij in puero elucere cœpisset, de parentum consilio Ferrariam missus est, vt Iurisprudentiæ operam daret, ibiquè Clarissimos Iuriscon: *Pascettum*, & *Hyppolitum Riminandum* audiuit, quorum auspicijs, cum plurimùm in literariâ palestrâ profecisset, Ticinum adijt, vt ad instar PLATONIS, quem in Græciam penetrasse ferunt, vt Pythagoræorum præceptis, & disciplina imbueretur, ipse etiam *Andream Alciatum*, Virum in omni eruditionis genere eximium, audiret. Verùm enim verò, eo aliquandiu degustato, maiori discendi ardore succensus, ad auscultandum *Marianum Socinum*, Bononiæ docentem, deductus est, ac demum permotus illustri famâ

MARCI MANTVAE, & *Iulij Oradini*, quos tunc temporis inter præclaros legum interpretes eminere constabat, Patauinum Gymnasium nostrum cæteris præferendum ratus, eò se recepit, vt inibi studiorum suorum metam attingeret, & insignia Doctoratus ex tantorum Iurisperitorum manibus obtineret. Quamobrem adeò insignes in Iurisprudentiâ progressus eo in Gymnasio fecit, vt antequàm in Doctorum numerum cooptaretur, dignissimus habitus fuerit, qui, posthabitis alijs multis, à Serenissimo Senatu Veneto Imperatorias Institutiones in eodem secundo loco publicè explanaret. Quo quidem in munere, eò vsque per septennium, acclamantibus studentibus omnibus, progressus est, collega Hieronymi Campi S. Petri, vt in eo ætatis immaturitas ipsâ doctrinæ grauitate, & maturitate magis, ac magis excellere videretur. Renunciatur interim à Iurisperitorum Collegio Iurisprudentiæ Doctor, & decedente *Matthæo Gribaldo*, alteram vespertini Iuris cathedram obtinente, in eius locum adsciscitur, quem suaui sermonis nitore, & ornatu sexdecim annorum

spatio

ſpatio decorauit. Varias lucubrationes edidit, tùm ex Iuriſprudentiæ penu, tùm ex Eloquentiæ officinâ depromptas, quibus, & literatorum omnium animos pertraheret in admirationem ſui, & Sereniſſimæ Reip. Venetæ fauorem, non ſine inſigni honorarij, & boni publici incremento, conſequeretur. Diem tùm extremum obierat Auguſtę Taurinorum egregius I. C. *Simon Craueta*, cum Sereniſſimus Allobrogum, Dux Emmanuel Philibertus, PANCIROLVM noſtrum, veluti præſtantiſſimum Europæ Iuriſconſultorum Sydus, ad Taurinenſe nobilitandum Gymnaſium, ampliſſimo honorario propoſito, accerſiuit. Annuit ille voluntati Principis, & anno ſalutis CIↃ. IↃ. LXXI, relicto Patauino Lyceo, Taurinum conceſſit, vt in primâ Cathedrâ, collega *Bernardi Trotti* I. C. Clariſſimi, Ius Cæſareum interpretaretur. Quâm humaniter tùm à Sereniſſimo Duce exceptus fuerit, explicare difficulter poſſim. Illud ſatis conſtat, Emmanuelem Philiberti filium, patris veſtigijs inſiſtentem, eundem ſimul ac patri ſucceſſit, omni amoris, & officij genere proſecutum eſſe; quin,

&

& mille aureis annui ſtipendij, quos à Philiberto acceperat, centum; honoris & dilectionis gratiâ, protinus adiunxiſſe. Cœperat iam illi Taurinenſis aeris intemperies ſic obeſſe, vt oculorum altero penè deſtitutus eſſet; altero verò grauiſſimè laboraret; cum inde ſibi diſcedendum ſtatuit, & Patauium, quò ad principem Iuriſprudentiæ ſedem à Sereniſſimo Senatu Veneto accerſebatur, concedendum ſtatuit, abiectâ cunctatione omni. Quanto cum Allobrogum Principis mœrore diſceſſit, tantâ Ciuium, & Studentium voluptate Patauij receptus eſt, anno CIↃ. IↃ. LXXXII. & Lyceum publicum, tribus tunc temporis Iuris luminibus, *Io. Cephalo*, *Tiberio Deciano*, *&* *Marco Mantuâ* orbatum, ſuo aduentu mirificè recreauit. Summi Romani Pontifices duo, GREGORIVS XIV. & CLEMENS VIII. miro illum amore complexi ſunt, & ad aulæ Romanæ limina, conſultationis ergò, perhonorificè vocauêre. At ille quietis amans, & bonæ valetudini ſuæ ſtudens; Lucubrationibus etiam eruditiſſimis euulgandis intentus, faſtus huiuſcemodi, & honores omnes nihili ducens; Ciui-

 tatem,

tatem, & Academiam nostram Romæ præferendam censuit, nec aliò, procul à Gymnasio sui delicio, commigrandum. Quamobrem apud nos, relictis literarum monumentis innumeris, vitæ cursum peregit, anno ætatis LXXV. & ad Ecclesiam D. Antonij celebri pompâ ab vtraquè Vniuersitate delatus, inibi publicis, encomijs exornatus est, orante eius in laudem doctissimo, & eloquentissimo I. C. Francisco Vidua Patauino, anno salutis CIↃ. IↃ. XCI. XVI. Kal. Iunij. Iacet in Ecclesiâ D. Iustinæ in sepulchro Monâchorum vt ipse viuens concupiuerat.

Scri-

Scripsit

*Rerum Memorabilium lib. II. quorum prior Deperditarum, posterior nouiter Inuentarum est.*

*Commentarium in Notitiam Dignitatum vtriusquè Imperij.*

*De Magistratibus Municipalibus, & Corporibus artificum libellum.*

*De quattuordecim vtriusquè tàm Veteris, quàm Nouæ Vrbis, earumdemquè ædificijs tàm publicis, quàm priuatis libellum.*

*Thesaurum variarum lectionum in III. libros digestum, ab Hercule ex Fratre Nepote in lucem editum.*

*Responsorum, & Allegationum in Iure volumen vnum.*

*De Origine, & Auctoritate Iurisconsultum, & de Viris illustribus, maximè in Iure volumen I. nondum editum.*

*De Origine, & Auctoritate Equitum.*

*De Iuris Antiquitate.*

*De Numismatis antiquis.*

*Commentarium in Uniuersa Tertulliani opera.*


*Volumen, in quo plurimæ nouæ legum explicationes continentur.*

NV-

NVMISMA

GVIDI PANCIROLI

I. C. PRÆSTANTISSIMI.



# HIERONYMVS NIGER

PAtauinus, ex patre Antonio Nigro, & Isabellâ Soncinâ ortus, Vir in re Medicâ sine dubio eximius, niueis vnà moribus præditus, & literarum ornamentis omnibus, dignum se laude & memoria nobis hoc loco præbet. Vrbanitate reipsa mirâ, & assiduitate singulari in ægrorum curâ, diuitias, & honores domus maximè auxit. Anno CIↃ. IↃ. LXII. electus Collega *Marini Stephanelli*, Medicinam Practicam extraordinariam loco tertio in Academiâ patriâ explicare cępit, vnde gradum ad Theoricam fecit, quam multiplici curationis onere defessus docere demùm desijt non sine mętrore Gymnasij vniuersi. Pater extitit Filiarum quinque, Filiorum trium, Bernardini scilicet, Oeconomiæ deditì: Antonij Medici eruditi quàm infrà pluribus exornamus, & Victorij Abbatis S. Benedicti Noui. Ex Filiabus Cassandræ solius nuptias celebrauit, quam in vxorem tradidit Antonio Zanoto Patauino I.C.: reliquas intrà sacra septa Diuino Numini consecrauit. Itâ consenuerat, vt nec

Me-

Medicinæ Cathedram conſcendere, nec equo, vt infirmis operam ſuam nauaret, inſidere poſſet; nec illis idcircò adeſſe deſtitit. Siquidem ſolâ pietate, nullâ gloriæ cupiditate ductus ad eos curandos geſtatoriâ ſellâ deportari coluit, maiore ciuium ſuorum habitâ ratione, quàm ſui. Octogenarius, mœrentibus bonis omnibus, deceſſit, anno CIↃ. IↃC. pioquè funere abſquè pompâ conditus, in Eccleſiâ D. Peregrini, in Maiorum ſuorum tumulo conquieſcit, memoriâ nullâ, quâ dignus, appoſitâ ex incuriâ filiorum.


ANGELVS MATTHÆACCIVS
marosticensis. Iuris Consultor

## ANGELVS MATTHÆACCIVS

IN oppido Marosticæ natus, singulari mentis & ingenij acumine præditus, ad quascumquè liberales artes propensus viuus enituit, ac nunc etiam nitet. Adolescens, humanioribus literis informatus, Iuris, ac Eloquentiæ fontes exhausit, rerumquè varietate captus, laboribus assiduis, tùm in Philosophiæ, tùm in Mathematicarum Disciplinarum penitiora penetralia se recepit. Nec obscura in ætatis flore, & ipsis studiorum suorum primordijs futuræ doctrinæ, & eruditionis argumenta dedit. Nimirum, in Mathematicis se exercens, non solùm in his, quæ ad Opticam, & Mathematicas pertinent, verùm & in alijs, quæ ad aeris tempestates, Epidemias, Terræmotus, Principum obitus, Bellorum incendia, aliaquè rerum humanarum descrimina spectant, ità metam attigerat, vt plurima, quoad Christianæ Religionis perscriptum patitur, constanti vaticinio prædixerit, exitu mirabili comprobata, quod alijs in eâ facultate senio confectis rarò admodùm datur.

In-

Inter cætera, cum Octauio Montagnæ, & Melchiori Cartulario, celeberrimis Academiæ Patauinæ Iuriſconſultis, ſe poſt annos quinquè Lecturam Iuris ciuilis Primariam conſecuturum eſſe dixiſſet, id ipſum adamuſſim contigit. Eo nempè tempore è Pandectarum Cathedrâ à Sereniſſimo Dominio Veneto ad principem Iuris de mane locum euectus eſt. Potiores Iuriſprudentiæ honores obtinuit. Nam, & in Carnorum regione, quæ nunc Fori Iulij nomine celebratur, multis in locis, & annis multis, Aſſeſſoris partes obijt: & in almâ Venetiarum vrbe cauſſarum actor incredibili eloquentiâ perfulſit: & omni doctrinæ varietate refertus Cæſarum, & Pontificum iure Philoſophiæ Naturalis, & Moralis dogmata permiſcebat. Ibi dilectus ab omnibus præcipuo amore complexus eſt ANTONIVS Fachinettus, Venetijs tunc temporis PII QVINTI Legatum agens, qui & illum ſæpè conuiuio excipere, & audire paſſim diſputantem acutiſſimè conſueuerat. A multis etiam Principibus expetitus fuit. Nam & XISTVS QVINTVS Pont. Max. ſemel, ac ite-

iterùm consultationis ergò, MATTHAEACCIVM accersiuit Romam: & RVDVLPHVS Cæsar ad se vocatum perhumaniter suscepit, & ob insignia merita Equitis, ac Comitis insignibus exornauit: & cum à Serenissimâ Republicâ Venetâ Pandectarum docendarum prouinciam in Lyceo Patauino suscepisset, eâ per annos aliquot feliciter administratâ, auctis insigniter stipendijs in primâ Iuris Ciuilis Cathedrâ collocatus est. Asperitatem vultus morum suauitate condibat, patebatquè cunctis illius domus, quæ rerum artificialium, Catopticorumquè Imaginum, eius opera inuentarum, plena, summâ cum admiratione, & voluptate ab omnibus colebatur. Ætatis anno LXIIII. vitâ excessit, & in Templo D. Antonij, publicè laudatus à Philosopho, & Iurisconsulto doctissimo Francisco Viduâ, humatus est XIV. Kal. Martij anni salutaris CIↃ. IↃ C. Inscriptionem hanc illi Ioseph Matthæaccius, ac Georgius filius vnanimes posuêre.

M. D. C.

ANGELO MATTHÆACCIO
AVLÆ CÆSARIS EQVITI, COMITIQVE
PALATINO
PATAVII PRIMARIO
IVRIS CIVILIS INTERPRETI
SVMMO THEOLOGO
PHILOSOPHO ET ASTROLOGO
MÆSTISS.
IOSEPH MATT. PON. CVR. AC
GEORG. FILIVS.

Con-

Conscripsit

*De Via, & Ratione artificiosâ uniuersi Iuris lib. II.*
*De Fideicomissis.*
*Apologiam aduersus Bonifacium Rogerium.*
*Apologiam Primæ Sedis Iurisprudentiæ, ad Serenissimum Reip. Venetæ Principem, eiusque amplissimum Collegium.*



NVMISMA
ANGELI MATTHÆACCII
I. C. CLARISSIMI





ÆMILIVS CAMPOLONGVS PAT.
PHILOSOPHVS, ET MEDICVS.

# ÆMILIVS CAMPOLONGVS

Ciuis Patauinus, medicâ eruditione insignis, specie venerabilis, in colloquijs adeò iucundus, & carus, vt ægri non minus eius humanitate præcellenti, quàm adhibitis ab eo remedijs se refectos palàm, & liberè faterentur. Aristotelis, & Galeni studiosissimus, & accuratissimus cultor extitit: & in curandis morbis inter ætatis suæ Medicos facilè princeps. Anno CIƆ. IƆ. LXXVIII. Theoricam Medicinam secundus in ordine scitissimè docuit in Academiâ patriâ: cumquè anno CIƆ. IƆ. LXXXXI. decessisset è viuis Medicinæ Doctor insignis *Marcus de Oddis* ad Medicæ praxis cathedram euolauit. In eâ se præclarè gessit, nec solitam idcircò, sedulam, piamquè infirmorum curam abiecit. Migrauit è vitâ ætatis anno quinquagesimo quarto, immortali planè memoriâ dignus, quòd annis XXVII. in tradendâ, & exercendâ publicè Medicâ facultate strenuè desudasset. Præter Consulta, quæ in libro Consultorum Italorum extant, hæc alia literis consignauit.

De

*De Variolis.*
*De Arthritide.*
*Methodum conſultandi.*

In Eccleſiâ Seruorum, in Sacello Maiorum, ſito Annibal F. Statuâ, & huiuſcemodi Memoriâ ſuam ergâ Patrem benè de ſe meritum pietatem teſtatus eſt.

D. O. M.

ÆMILIO CAMPOLONGO
NOBILI PATAVINO
SVMMÆ INTEGRITATIS
ET INNOCENTIÆ VIRO
PHILOSOPHO ATQVE MEDICO CLARISS.
QVI AGENDO SCRIBENDO ET PVBLICE
DIV IN PATRIA TVM PRACTICAM
TVM THEORICAM INTER PRIMARIOS
PROFITENDO
SVMMORVM PRINCIPVM GRATIAM
CONSECVTVS
NOMEN SIBI AD EXTREMAS ETIAM
REGIONES NVNQVAM PERITVRVM
COMPARAVIT.
OBIIT ANNO SALVTIS M. DC. IIII.
XV. KAL. NOVEMBRIS
ÆTATIS SVÆ LIIII. MENSE II.
ANNIBAL I. C.
PATRI BENEMERENTI
ET INCOMPARABILI

P. C.


FRANCISCVS PICCOLOMINEVS SENENSIS
PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

# FRANCISCVS PICCOLOMINÆVS

SAlue præclarissime Doctor, non solùm Ingenio, & Virtute; sed & moribus, & innocentiâ, & animi probitate mirandus, cuius sub Laureali Biretto delineata facies, veluti regio diademate redimita, fulget, amorem & venerationem poscit. Senis natus est FRANCISCVS noster, Philosophus numeris omnibus absolutus, & Orator insignis, ex familiâ Piccolominæâ, quæ & ALEXANDRVM præclarissimum Virum, & alios illustres alumnos, ætate nostrâ celebres, tulit. Staturâ mediocris, ingenio ingens, multiplici rerum cognitione imbutus, non modo in Gymnasio patrio specimen suæ virtutis clarissimum edidit, dum ingenti cum admiratione ciuium Logicam adhuc adolescens interpretatus est; sed & in Maceratensi Vniuersitate, in quâ Philosophiam professus est, & in Perusino Lyceo, vbi per decennium munus idem gloriosè obiuit. Cum igitur inter Rei Literariæ lumina nomen iam amplissimum obtineret, Patauium accitus, anno CIↃ. IↃ.

LX. ad exornardum primum Philoſophiæ Extraordinariæ locum, ſecundus eius Facultatis profeſſor electus eſt, Collega *Arcangeli Mercenarij*, viri diſciplinis omnibus exornati. ac tandem, quadriennio nondum expleto, ad ad principem ordinariæ Philoſophiæ ſedem euectus ex merito, Solis inſtar in orbe proprio collucentis clariores, calidioreſquè virtutis ſuæ radios emiſit. Nequè verò Ariſtotelicæ ſolius doctrinæ Interpres, & Commentator eruditiſſimis ſcriptis typis editis obſcuriora Philoſophi dogmata meridianâ luce clarius illuſtrauit; ſed & Platonicam diſciplinam ferè collapſam, & legendo, & ſcribendo in integrum reſtituere conatus eſt; illud in primis enitens, vt Platonem cum Ariſtotele in pluribus conciliaret. Senex laboribus in aſſiduis diù verſatus, quieti & animi tranquillitati ſtudens ex Platonis dicto, cum amplo millium quadrigentorum florenorum ſtipendio frueretur Pomeridianas Diſputationes, quæ à Doctoribus haberi conſueuerant, propter diſceptantium lites, & iurgia optimo conſilio ſuſtulit. At iſta dum præſtat, & ſtudentium

Dd di-

disceptationibus occurrit, filiorum simultates, ac inertias euitare minimè valuit; immò varijs sollicitudinibus agitatus, infelicem senectam, filiorum inter se dissidentium caussâ, transegit. Insignes suæ doctrinæ cultores, & doctores eximios reliquit, inter quos hodie excellit maximè Eruditissimus MARIVS MAXOLENVS S. T. Doctor, & Philosophiæ Extraordinariæ Interpres in paritate primi loci, nostro in Gymnasio Patauino. Quippe Vir hic eximius, graui, & iucundo sermone Aristotelicæ doctrinæ penetralia reserans, sapientiâ, moribus, & animi candore Piccolominæus alter agnoscitur, & vti virtutum illius hæres ex asse omnium linguis, & sermonibus celebratur. Sed vt PICCOLOMINAEI laudibus insistam, cum eloquentiâ, solertiâ, & ingenij acumine, vegeto semper & intento, publicum docendi munus quinquaginta trium annorum curriculo in varijs Italiæ Academijs, & in primis in Patauinâ nostrâ feliciter obijsset. Senis è vitæ laboribus excessit, anno ætatis LXXXIIII. relicto Posteris cum amplissimâ nominis sui memoria patrimonio ingenti. Viuens varia

scripsit,

ſcripſit, & edidit, quorum è numero hæc habemus, beneficio Typographicæ facultatis.

*Vniuerſam de moribus Philoſophiam in decem gradus diſtributam.*

*Vniuerſam Philoſophiam Naturalem ex quinque partibus conſtantem, quarum.*

*In Primâ docet de ijs, quæ ad ſcientiam de Naturâ attinent.*

*In Secundâ de attinentibus ad Cœlum.*

*In Tertiâ de reſpondentibus libris de ortu, & interitu Ariſtotelis.*

*In Quartâ Meteorologica, & cum eis connexa.*

*In Quintâ, quæ ad Animam pertinent.*

*Librum vnum de rerum Definitionibus.*

*Commentarios in Primum, Secundum, & Octauum Phyſicorum.*

*In Libros de Cœlo.*

*In Libros de Ortu, & Interitu.*

*In Libros de Animâ.*

*Comitem Politicum aduerſus Iacobum Zabarellam.*

In dexterâ parte Templi D.Francisci sepultus est,ibiquè hoc Epitaphium sculptum conspicitur.

D. O. M.

FRANCISCVS PICCOLOMINÆVS

PHILOSOPHVS

EIVSQVE HÆREDES

DONEC LVX POSTREMA REFVLGEAT

IN HIS TENEBRIS REQVIESCENT

FIDES DIRIGIT SPES ELEVAT

CHARITAS CVM DEO

NECTIT.

M. DC. IIII.

EPI-

EPICHEREMA

FRANCISCI PICCOLOMINÆI

EMINENTISSIMI PHILOSOPHI.




ORA-


# HORATIVS AVGENIVS

A Monte Sancto, vir præstantissimus, Æternâquè laude dignus, tùm ob gloriam patris ac fratrum, tùm ob admirabile diuini sui ingenij acumen. Pater eius LVDOVICVS, inter Italiæ Medicos longè clarissimus, ferè per annos septuaginta in præcipuis Flaminiæ, Piceni, & Etruriæ Ciuitatibus Medicinam laudabiliter exercuit, CLEMENTI VII. Summo Pontifici percarus, & in delicijs Galliæ Principum, qui eius ergò, præter ingentia, quæ in illum præmia contulere, eiusdem patriam ab oneribus omnibus immunem esse voluerunt, priuilegio singulari; cum interim alia loca exercitus transitum sustinerent. Fratres habuit Simonem, Fabritium, & Lælium, quorum duo I. C. celeberrimi extitêre; alter verò aureatus Eques D. Mariæ Lauretanæ. At inter illos HORATIVS noster, veluti Iuppiter inter micantia sydera collucebat, omnium virtutum, ac disciplinarum genere fulgentissimus. Philosophus enim, Medicus, & Theologus per insi-

insignis moribus, morbis, & animis, vrbanitate, eloquentiâ, & peritiâ eximiâ medebatur, quas quidem vbiquè in illo radiantes dotes tùm Itali, tùm Germani mirum inmodum efferebant. Sed labores eius literarios audiamus. Primâ ætate Logicæ nodos in Maceratensi Vniuersitate duobus annis explicuit. Mox in Scholis Romanis quinquennio Medicinæ Theoricam professus est: adhæc in Ticinensi palestrâ practicam facultatis eiusdem sexdecim annis: ac demùm in Patauinum Lyceum proposito nongentorum florenorum honorario, accitus Theoricam ordinariam in primâ sede eloquentissimè docuit, iam senex, vsq; ad extremum suæ peregrinationis diem. Obijt anno CIↃ. IↃC. III.

Scripsit

*De Sanguinis effusione libros decem.*
*Disputationum eiusdem argumenti Lib. VII.*
*Epistolarum Medicinalium Libros XXIV. duobus voluminibus compræhensos.*
*De Febribus.*
*De partu hominis.*
*Quæ quidem omnia impressa sunt Francofurti apud Hæredes Io. Vechelij, & in Tomos IIII. distributa.*



BARTOLAMÆVS SYLVATICVS PATAVINVS I.C.
*Eques, et á Secretis Seren. Reip. Venetę*

# BARTHOLOMÆVS SYLVATICVS

PAtauinus ciuis, Eques, & ætate nostrâ præclarissimus legum Interpres, & Consultor. Vir corporis staturæ communis, aspectu venerabilis, ingenij acie præcellens à primis annis IVSTINIANI Institutiones in patrio Gymnasio, loco secundo, explicare cœpit, Collega primùm *Guidi Panciroli* Regiensis, dein *Philippi Octauiani Montagnanæ*. Sufficitur hinc ad lecturam Criminalium explanandam, in locum *Antonij Catari*, in quo munere quandiu versatus est, ità Praxim cum Theoricâ copulauit, vt æquè ciuibus, & exteris in Foro suâ prȩstantiâ patrocinatus, illud assecutus sit eloquentiæ benefitio, vt palàm se per illum viuere faterentur. Post hæc, communi omnium consensu, adhibitus est ad Iuris Pontificij Mysteria euoluenda in sede, quam antè tenuerat Benedictus Barizellus, anno Domini CIↃ. IↃ. LXXV. Quo quidem tempore, cum pro rebus publicis Serenissimæ Reipublicæ Venetæ tuendis plurimùm laborasset, varijs peregrinationibus obitis, & eiusdem iura sarta,

ta tecta, quâ scriptis, quâ voce, nomini eius deuotissimus, acerrimè conseruasset, Consultor à Secretis tantæ Reipublicæ renuntiatus est, anno CIↃ. IↃ. LXXXI. vt vnâ cum ERASMO GRATIANO Vtinensi de Iure, quoties opus esset, ei Reipublicæ consultum iret. Cum ALOYSIO Mocenico, cognomento *Philosopho*, primique subsellij Senatore, missus est, Collega MARCI ANTONII *Peregrini*, ad statuendos finium limites inter Serenissimam Rempublicam, & ALPHONSVM II. Ferrariæ Ducem. Tot honoribus munificentiâ sui Principis insignitus, dignitates ab alijs oblatas inuictus respuit. Quare Auditoratum Romanæ Rotæ accipere noluit, quæ posteà dignitas FRANCISCO Manticæ delata fuit. Tandem, cum acta innumera fidelitatem eius ergà Serenissimam Rempublicam liquidò testarentur, Eques ab illius Principe publico decreto acclamatus est, & trecentorum aureorum torque, insigni pro meritis liberalitate, cinctus. Torqui subnectebatur D. Marci Numisma aureũ, in quo hæc legebantur. SENATVS DECRETO FIDEI VIRTVTISQVE TESTIMONIVM.

Præstantissimos filios sortitus est, Aloysium Iuris Cæsarei, & Pontificij Doctorem, qui & Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis fuit: Petrum militem, & Gubernatorem: Ioannem Baptistam Equitem, & Interpretem Iuris: & Benedictum Philosophum, nunc in Lyceo Patauino Medicinam summâ cum omnium admiratione doctè, disertè, dilucidè profitentem. Nàm cæteras illius laudes, & Io: Baptistæ fratris, haud meum fuerit percensere, cum eam sibi prouinciam delegerit Excellentissimus, & Doctissimus FELIX Osius Primarius Oratoriæ facultatis Interpres, in absoluctissimis Commentarijs suis de Gymnasio Patauino. Senex animum Cælo reddidit Kal. Octobris, anni salutis CIↃ. IↃC. III. XII. ætatis LXX., & honorificè laudatus de more, in Ecclesiâ Cathedrali tumulatus est, subiectâ marmoreæ illius Statuæ Memoriâ perinsigni.

Ex-

Extant autem apud Filios inter cætera hæc illius Opera nondùm edita

*Consilia multa de rebus grauioribus, præcipuè in Caussis sibi commissis, vt de ijs referret ad Amplissimum Iurisconsultorum Collegium Patauinum.*

*Commentarij in eas partes Iuris, tùm Ciuilis, tùm Pontificij, quas publicè explicabat.*

*Tractatus de Iurisdictione seculari in Personas, & res Ecclesiasticas, vel mixtas, &c.*

Memoria, quæ marmoreæ illius statuæ subiecta cernitur, hæc est.

BARTHOLOMÆO SYLVATICO

PATRITIO PATAVINO I. C.
IN PATRIO GYMNASIO PER ANNOS L.
PRIMARIO V. I. INTERPRETI
REIPVBLICÆ VENETÆ CONSVLTORI
IN MAGNIS AD CÆSAREM
ATQ. ALIOS PRINCIPES LEGATIONIBVS
PRÆCLARAM EX EO MVNERE
GLORIAM ADEPTO
OB SINGVLARES DOCTRINÆ FIDEI
PRVDENTIÆ LAVDES
AMPLISS. I. C.
EQVESTRIBVS ORNAMENTIS INSIGNITO
RELIGIONE IN DEVM
BENEFICENTIA IN OMNES
CONSPICVO.
POST LXX. ANNORVM ÆTATEM
PRINCIPI PATRIÆ ACADEMIÆ
BONIS OMNIBVS IMMATVRE ABLATO.
HIER. SYLVAT. EQV. FR. ET FILII IV.
LIBERALIS PATRIS EDVCATIONE
PERHONESTIS
AVCTI TITVLIS D. D.
OBIIT ANNO M. DC. III.
XII. KAL. OCTOBRIS.

OTTO-


OTTONELLVS DISCALCIVS PATAVINVS I.C.
Palatinus Comes, et Eques Diui Marci

# OTTONELLVS DISCALTIVS.

CVius hic ſpeciem venerandam aſpicis, is eſt Iunior OTTONELLVS DISCALTIVS, Patauinus ciuis, Iuriſconſultus inſignis, & patriæ noſtræ. Cui ſummâ fide, obſequio, & operâ ſemper adſtitit, decus eximium, & immortale. Pietate fulgens, & ingenio maximo, & in Iuriſprudentiæ ſtudijs ſuprà cæteros eminens, ab ineunte ætate cauſſas eloquenti, conſilia prudenti, iuditia iuſtiſſimo ſemper ore dixit, dedit, enunciauit. Libris editis ſeipſum, explicatis Gymnaſij Patauini famam auxit. Siquidem in eo, applaudentibus omnibus, quadriginta duobus annis, modò Pontificij, modò Cæſarei Iuris ſolemnes prælectiones habens, dicendis interim cauſſis operam dabat. Hiſce laboribus, ac meritis aditum ſibi ad honores, opes, & alia patefecit. Varijs legationibus pro patriâ ſtrenuè functus apud Sereniſs. Reip. ſuæ Principem, Equitis ab eo Veneti, vt à RVDOLPHO II. Imperatore Comitis Palatini, & Equitis Cæſarei decora reportauit. Principibus carus, à Conſilijs etiam

jiſdem

ijſdem fuit, & in primis Sereniſſimæ Reip. Venetæ, cuius libertatem, & iura vnà cum Principis auctoritate, & dignitate conatus eſt acriter non tueri modo; ſed & longius, ac latius propagare. Itaquè varijs ab eo muneribus affectus eſt, & honoribus varijs, vti benè de Republicâ meritus, inſignitus. Conſenuerat OTTONELLVS; ſed feſſum ætate corpus, ingenium ſapientiâ validius gerens vſui adhuc erat publicè, cùm anno ſeptuageſimo primo lentâ febri correptus, ſimul & extinctus eſt cum magno Studentium, & Ciuium mœrore, perinde ac ſi de vniuersâ Iuris prudentiâ, eo defuncto, conclamatum eſſet. Elatum magnifico funere ſacra tellus excepit Eccleſiæ Patrum Heremitarum, cuius in Occidentali muro aureæ literarum notæ Virtutes eius, & Merita ſic loquuntur.

D. O. M.

OTTONELLO DISCALTIO

Summo genere, ac Virtute Iuriſcon.
Eq. Co: Palat.
Qui
Præſtantiſſimum ingenium
Eximiâ Iuris vtriuſquè ſcientiâ,
Et admirabili diſputandi, atquè dicendi
acumine, & copiâ excollens
patriæ in honoribus legationibus conſilijſquè
vtiliſſimus
Priuatorum in Iuditijs pericula
ſingulari Eloquentiâ propulſans
perquàm diù præcipua Iurium interpretandorum
ſummâ omnium auctoritate obtinens loca
non ſemel ab alijs Principibus expetitus,
à Venetis Dominis retentus, ornatus,
auctus emicuit.
Obijt anno Chriſti M DC VII.
Ætatis ſuæ LXXI.
Eliſabet Zabarella
Viro Clariſſimo
apud oſſa Maiorum
P. C.

Extat,

Alterum in eiuſdem Viri eximij laudem Monumentum

ÆTERNÆ MEMORIÆ

OTTONELLI DISCALTII

PATRITII PATAVINI

VIRI CLARISSIMI PRIMARII

IVRIS CIVILIS INTERPRETIS

COMITIS PALAT. ET EQVITI D. MARCI

NATIO GERMANICA IVRIST.

CONSILIARIO GEORGIO FEDERICOA

RAMINGEN

SIND. IVR. ADOL.

VVECIT TERSHEIM PROCVR.

HENY HILLER ET FRIDER BRANDIS

PER ANN. XX. ET VLTRA PATRONO

ET ADVOCATO SVO DESIDERATISS.

POS. ANNO M. DC. VII.
MENSE DECEMB.

*Arca tegit cineres, animam Deus addit Olimpo,*
*Famam Germanæ suscipiunt Aquilæ.*

Extat hæc altera huius Viri memoria in Ecclesiã S. Antonij vnà cum eiusdem Statuâ, quam illi Generosa Germanorum Natio magnificè erexit ad Occidentalem eius Templi partem.

Innumera eiusdem Consilia extant, Lectiones variæ, & documenta quàmplurima, quæ Discipulorum eius manibus assiduè teruntur.



HERCVLES SAXONIA PATAVINVS
PHILOS. ET MEDICINÆ PROFESSOR.

# HERCVLES SAXONIA

PAtauini Cæli ciuis, & accola, ne latum quidem vnguem recedens à semitis, quas glorioso pede calcarant VICTOR pater, & Hieronymus, & Franciscus patrui, quàm maximè longam nominis sui memoriam effecit. Studiorum id suorum progressu mirificè patefecit, testatus apertè, se ad hoc potissimùm in lucem prodijsse, vt & Maiorum suorum æmularetur gloriam, & Patriæ, & Familiæ decus, & ornamentum foret. Vix ipsis Medicinæ insignibus decoratus Tertium Auicennæ librum interpretari cępit, summo cum audientium concursu, & admiratione, Germanorum in primis, qui, cum eo docente Serenissima Respublica XIII. Academiæ Patauinæ Cathedras, quasi superuacaneas tollendas censuisset, peculiari ad eam legatione suscepta, HERCVLEM nostrum pristinæ suæ prouinciæ restituendum curarunt. Iamquè Medicinæ Theoricam per annum professus erat, cum à primis Serenissimæ Reip. Venetæ Patribus Venetias euocatus, eò cum omni

fami-

familiâ commigrauit, vbi magnâ cum laude vixit, & opes ſibi maximas comparauit. Verum enim verò defuncto, *Hieronymo Capiuacceo*, eius in locum ſuffectus, in patriam redijt, in eâquè principem Academiæ Medicæ Cathedram, admirabili eloquentiâ, ſingulari doctrinâ ad extremum vſquè vitæ halitum decorauit. Varijs temporibus non vni Principum valetudinem priſtinam reddidit, ingentibus ab ijs, & muneribus, & honoribus decoratus. Inter cæteros MAXIMILIANO Romanorum Regi, & Imperatori, ad eum graui morbo laborantem in Germaniam vſquè profectus, ſalutis auctor extitit, & longioris æui, cuius ergò S. Cæſareæ Maieſtatis Eques renuntiatus, & donis alijs Cæſare dignos cumulatus, in patriam ſe recepit.

Vxorem duxit Cęciliam Triuiſanam Patauinam, filiam Doctoris Bernardini Triuiſani, ex quâ nullum filium habuit. Opera præclariſſima ſcripſit, & hæc inter de *Phænigmis*, & de *Vſu Theriacæ in febribus peſtilentibus*, ac de *Peste*, tunc temporis, quo, Piſauro peſtilentibus febribus conflictato, Vrbinatium Dux vniuer-

uersos Academiæ Patauinæ Medicos sibi consulendos censuit, vt occurrerent inualescenti morbo. Tunc enim, disentientibus inter se Medicis de remedijs, quibus is morbus profligari deberet; nimirùm in vsu Theriacæ, & in vsu Vesicantium Medicamentorum, SAXONIA, vt suã sententiam tueretur, Tractatum de *Phœnigmorum*, quæ vulgo *Vesicantia* : & de Theriacæ vsu in huiusmodi febribus pestilentibus exarauit. Quem contrâ simul ac Alexander Massaria Vicentinus Disputationem de abusu Medicamentorum vesicantium, & Theriacæ in febribus pestilentibus confecit, eâ visâ SAXONIA libros tres de Phęnigmis mirâ claritate, ac doctrinâ refertos edidit, nihil vt ijs addi videretur posse.

Scri-

Scripsit insuper.

*De Pulsibus libros III.*
*De Lue Venerea.*
*De Acqua Cordiali.*
*De Plica.*
*Pronoseon Practicarum lib. II.*
*De Febribus.*
*De Melancholia; de Vrinis, & alijs rebus, quæ omnia in Pantheo, siuè Medicinæ Practicæ Templo edita sunt à Petro Vffenbachio medico, eiusdem discipulo, Francofurti.*



Ac tandem anno ſalutis CIↃ. IↃC. VII. Vitalem lucis huius vſurâ frui deſijt, ſolutus in pium ſomnum, & conditus in Eccleſiâ Monialium S. Petri cum honore tumuli quo illum Victor, & Sanſonus amantiſſimi fratres afficere ſtuduerunt. Eius porrò tumuli ipſiſſima verba ſunt, quæ poſt Gentilitium Inſignè ſubſequuntur ſtatim.



HER-

HERCVLIS OSSA
HIC
IACENT QVI NOMEN
AB ARTE MEDENDI
ANTE ALIOS CLARVM
SPARSIT IN ORBEM SVVM
ET QVIS ERIT QVI NON DOLEAT
MORSQVE IMPROBA DICAT
DVRIOR HEV SAXO SAXONIAM
ARRIPVIT.
ÆTATIS SVÆ. LVI. M. VI. D. VI.
OBIIT ANNO DOMINI M. DC. VII.
VI. KAL. SEP.
VICTOR FRATRI CLARISS. P. L.
ET SANSONO FRATRE
PROCVRANTE.



IACOBVS MENOCHIVS IVRIS CONSVLTORVM
ævi sui Primas

# IACOBVS MENOCHIVS.

TIcinensis, ex humilibus ortus parentibus, æuo nostro Iurisconsultorum Primas facilè prædicatur. Hic optima naturæ suæ semina persecutus, studiorum laboribus nunquàm fractus, miroquè pollens acumine ingenij perspicacis, sic in Vtroque Iure profecit, vt meritò alter Seculi sui Baldus, ac Bartholus haberetur. Iam in primarijs Italiæ Gymnasijs, Ticinensi, Pisano, & alijs quà docendo, quà interpretando, quantùm posset ostenderat, cùm Itali Principes, nec non & exteri de illo apud se habendo altercari neruis omnibus studuêre. At Serenissimæ Reipublicæ Venetæ præmijs, & pollicitationibus ingentibus excitatus, ad Ius Pontificium in Gymnasio Patauino tradendum se se contulit animo hilari, & erecto, ibiquè toto sexennio munus illud obiuit egregiè, ac peramanter, siquidem sexennio proximo Iuris Cæsaræi Cathedram illustrauit. Magnus interim Etruriæ Dux FRANCISCVS, cognitâ præcipuâ Iuris vtilitate ad sartas tectas Respublicas conser-

uan-

uandas, clarissimũ illius iubar, & interpretem MENOCHIVM adiutorem, & consultorem habere decernit, magnisquè propositis honorarijs è Patauino Lyceo in Pisanum suum deducere nititur pro virili. At id (quòd Menochij operâ Serenifs. Respublica Veneta, auctis stipendijs, & honoribus, vti diutius in animum induxisset) assequi minimè valuit, renuẽte constantissimè *Menochio* votis eius Principis obsecundare, cum præsertim Bononiensibus, id ipsum mille aureorum honorario proposito, & oblato per Equitem Lucium Maium, inuictus anteà denegasset. Factum est tamen, vt cum annis vingiti tribus Serenissimæ Reipubl. Venetæ operam impedisset suam, à ciuibus Mediolanensibus accersitus eueheretur ad sedem *Nicolai Gratiani* defuncti in Academiâ suâ publicâ Papiensi. Enituit hic inter cæteros eius æui Iurisprudentiæ patres Menochij virtus, ne quis miretur, eum post Academiæ Cathedras priùs inter Regios Mediolanensium Senatores fuisse relatum, dein Præsidem ijsdem amplissimum datum, ac demum & Consiliarij Regium acclamatum. Quanti porrò eo in Or

dine

dine longè doctissimo Menochij Sapientia fieret, vel ex eo æstimare licet, quòd ortas in eo disceptationes compescebat vnus, eiusquè responsis, ac dictis, tamquàm ex Oraculo prolatis, assentiebantur & acquiescebant omnes. Senex, anno scilicet ætatis LXXV. mortalitatem expleuit, vertente anno Domini CIↃ. IↃC. VII. decoratus Statuâ, & Memoria insigni, quam post censum Operum exhibebo.

Scrip-

## Scripsit.

*De arbitrarijs Iudicum Quæstionibus, & Causis Tractatum.*

*De adipiscendâ, & retinendâ possessione Commentarios.*

*De recuperandâ possessione Commentarios.*

*De Præsumptionibus, Coniecturis, Signis, & Iudicijs Tomos III.*

*In omnes præcipuas recuperandæ possessionis Constitutiones Commentarios, cum Responsis causæ Ferrariensis datis à multis I. C. Collegijs.*

*Ad Librum secundum de arbitrarijs Iudicum, adiuncta Centuria quinta complectente centum casus; Iudicibus arbitrarijs communes, opus ad quotidianum vsum in forensibus negotijs perutile.*

*Consiliorum Tomos XIII.*

*Et alia, quæ apud Hæredes extant.*

Insignis Iacobi Menochij memoria
sub eiusdem statua

IACOBVS MENOCHIVS
MAGNVM IVSTITIÆ ORACVLVM
IN PEDEMONTANA PATAVINA
TICINENSI CATHEDRA
TVM MEDIOLANI CVM SENATOREM:
MOX PRÆSIDEM ET REGIVM AGERET
CONSILIARIVM
DENIQ. IN ORBE VNIVERSO AVDITVM
HIC TACET
CONSVLENTI TAMEN ADHVC
RESPONDERET SI PLVRA
QVAM SCRIPSIT DICI POSSENT.
OBIIT ANNO CHRISTIANO M. DC. VII.
DIE X. AVGVSTI
NATVS ANNOS LXXV.



TICHO BRAHE
ASTRONOMIÆ RESTAVRATOR.

# TICHO BRAHE.

DOminus Knudstrup, natus ex Patre OTTO, & BEATA BILLEA, Princips studiosissimus, procurante patruo GEORGIO Brahe, Lipsiæ literis humanioribus operam dedit, inibiquè inuito, & reluctante Pędagogo, qui illum ad Iurisprudentiæ studium pro viribus hortabatur, astronomicis disciplinis, naturali ad eas propensione ductus, animum adiecit. Quinimò florente ætate ad Cæsarem accitus, honores eius aulę sibi oblatos constanter spreuit, speratos respuit, Mathematicarum studijs accensus, ob quæ ab omnibus immortalitati nomen eius meruit consecrari. Vt enim Astronomia, tot retrò actis temporum curriculis penè obliuioni tradita, veris Phœnomenis restauraretur, non solùm eius facultatis peritissimos quosquè ad se magnis præmijs allexit, & insignia, vt id ipsum faciliùs assequeretur, eiusdem artis instrumenta regijs fabrefecit impensis; sed & domos magnificas, ac Turres ingentes à fundamentis erexit, in quibus, va-

ria per interualla, Cœlum, Sydera, & eorumdem motus vno tempore, diuersis instrumentis, & aspectibus spectarentur. Ob id Sereniss. Daniæ, & Noruegiæ Rex, FRIDERICVS II. Insulam celeberrimi Porthmi Danici, Huennam (Latini *Venutiam* vocant) Tichoni nostro ad se accersito dedit, vt inibi suam omnem cœlestibus studijs operam in opportuno otio consecraret. Quamobrem illic Arcem extruxit Ticho anno CIↃ IↃ LXXVI. cuius primum lapidem iecit Ser. Galliæ Regis Legatus CAROLVS DANZAEVS, in quo talia legebantur.

RE-

REGNANTE IN DANIA FRIDERICO II.
CAROLVS DANZÆVS AQVITANVS
R. G. I. D. L.
DOMVI HVIC PHILOSOPHIÆ
INPRIMISQVE
ASTRORVM CONTEMPLATIONI
REGIS DECRETO
A NOBILI VIRO
TICHONE BRAHE DE KNVDSTRVP
EXSTRVCTÆ VOTIVVM HVNC
LAPIDEM MEMORIÆ ET
FELICIS AVSPICII ERGO P.
ANNO CIↃ. IↃ. LXXVI. VI.
ID. AVGVSTI.

Domum verò ipſam obſeruationi ſyderum præcipuè addictam, STELLIBVRGI nomine, merito decorandam ſanxit, Inſcriptione adiectâ, quæ in eius veſtibulo, notis ad hanc vſquè diem aureis in Porphyte lapide inciſa cernitur in hæc verba,

D.

D. O. M.

POSTERITATIQVE SACRVM.

*Aſtronomiam ſcientiarum omnium antiquiſſimam, & præclariſſimam diù quidem, multumquè cultam, nondum tamen ſatis ſolidæ conſtitutam, aut à mendis vindicatam animaduertens, & inſtaurandæ, perficiendæquè varia, eademquè exacta adinuenit, conſtruxitquè organa ad omnimodas cæleſtium corporum obſeruationes ſufficientia, labore, diligentiâ, impendioquè incredibili, quæ partim proxima eandem ob cauſsam exædificata Arce* VRANISBVRGO, *partim hiſce Cryptis ad conſtantiorem, & opportuniorem vſum diſpoſuit, tibique O inclyta omni æuo ſucceſſura poſteritas, hunc theſaurum rariſſimum, & pretioſiſſimum commendans, dicans, vt in æterni Dei, admirandæ cæleſtis machinæ opificis, gloriam, artiſquè diuinæ propagationem, ac patriæ honorem perpetuo conſerues, nec vetuſtate, alioquè incommodo collabaſſere, aut aliorsùm transferri, vel quocunque modo violari ſinas: ſi nihil aliud, Authoris ſaltem Vniuerſi vindicem reuerens oculum.*

*Qui ea cuncta in hac Inſulâ, & inchoauit, & abſoluit, hoc monumento poſito te rogat, & obteſtatur.*

## TICHO BRAHE O. F.

*Haue, qui hæc legis, faciſque, & vale.*

Hac in domo Ticho ferè triginta annos cæleſtibus obſeruationibus vnâ cum eruditiſſimis Viris impendit, cumquè nouiſſet, Hippoteſem Copernicanam aliquantiſper aberrare à veritatis ſcopo, direxit Planetarum motus, & nouas ſubindè Tabulas confecit. Aliud idem Siſtema ſtatuere conatus eſt, excogitatis duobus centris: Vniuerſi vno, Grauitatis altero, & in primo quidem Solem immobilem collocauit, circà quem Mercurius, Venus, & Mars in orbem circumuoluerentur: in altero verò Terram. Admirabili reipsâ ingenio præditus, multos in Ariſtotele lapſus offendit, præſertim in Meteorologicis, & in ijs, quæ de ſolidate cæleſtium orbium ſcripſerat Philoſophus Princeps. Oſtendit ad hæc Cometas ferè omnes in Æthereâ Mundi regione, cæleſti

ſti nempè, verſatos eſſe, non in aere ſublunari, quod antè ſe Philoſophi alij perperàm fuerant opinati. Liquet id ex Progyſmmatibus, in quibus, de Cometis loquens, cęlum liquidiſſimum eſſe contendit, & in eo nouas ſtellas procreari, aliaquè lectu, & auditu digna. Chimicis quoquè rebus validè addictus fuit; Quamobrem in ſubterraneâ domus, anteà memoratæ, parte ſexdecim varij generis, ac formæ fornaces Pironomicas condiderat, quibus plurima tùm in Metallis, ac Gemmis; tùm in alijs Mineralibus, Vegetabilibus, atquè Creſcentibus expertus eſt. Inter ea, quæ præcipua condidit inſtrumenta, celebratur Muralis Quadrans, & Globus Maximus orichalcicus, qui mille ſtellas fixas, ſummâ ab eo diligentiâ viginti quinque retrò actis annorum curriculis reſtitutas, amplectitur. Habebat enim pedes VI. in ſuâ diametro. Opus reapſe ingens, & magnificum, cuius in Horizonte verba huiuſcemodi legebantur.

*Anno*

ANNO A CHRISTO NATO CIↃ. IↃ. XXCIV. REGNANTE IN DANIA FRIDERICO II. HVNC COELESTI MACHINÆ CONFORMEM GLOBVM IN QVO AFFIXA OCTAVÆ SPHERÆ SIDERA COELITVS ORGANIS DEPREHENSA SVIS QVÆQVE LOCIS AD AMVSSIM REPRESENTARE ERRANTIVMQVE STELLARVM PER HÆC APPARENTIAS PERVESTIGARE DECREVIT COELO TERRIGENIS QVI RATIONEM EAM CAPIVNT MÆCHANICO OPERE PATEFACTO

TICHO BRAHE O. F.


SIBI ET POSTERIS F. F.

Quæ alia, præter hæc, inſtrumenta reliquerit, ſummis vtiquè ſumptibus elaborata, videre facilè eſt in eius *Mechanica Aſtronomiæ inſtauratæ Norimbergæ edita, apud Leuinum Hulſium anno* CIↃ IↃC II.

In Murali Tichonis Quadrante, cuius antè meminimus, apparet Tichonis ipſius Effigies, Muſæum, & Canis, quem hoc loco veluti Domini ſui delicium, & ſymbolum repreſento.

Ii SYM-

# SYMBOLVM TICHONIS BRAHE EMINENTISSIMI MATHEMATICI.




*Extat*

*Extat eiuſdem de Diſciplinis Mathematicis Oratio, cum Decade vnâ Orationum, & Homiliarum in Academiâ Halnienſi,*

*Progyſmmata Aſtronomiæ inſtauratæ in duas partes diuiſa, quarum Prima tractat de reſtitutione motuum Solis, Lunæ, & inerrantium. Secunda de nouâ ſtellâ anno 1575. exortâ.*

*De Mundi ætherei recentioribus Phænominis, ſeu de Cometâ anni* 1577.

*Epiſtolarum Aſtronomicarum liber.*

Obſeruationes apud Rudolphum Imperatorem extant & expectantur alia quædam à Io: Chephero inſigni Mathematico, eius alumno. Eam ſibi famam porrò viuens TICHO peperit, vt iam omnes Aſtronomicas eius Obſeruationes ſequantur vltrò.

Federico defuncto haud diu *ſuperuixit* parùm ſecundis fortunæ caſibus agitatus, immo cũ hæredes Fiderici Regis Aſtronomiæ ſtudijs minimè caperentur, accitus ad Aulam Rudolphi II. Rom. Regis, eò ſe tranſtulit, vbi demum varijs muneribus auctus, dum ad menſam Cæſaris conſideret, vrinæ effundendæ verecundia præpeditus, obijſſe fertur.




ALEXANDER FORTECIÀ, I.C. PATAVINVS
*et caußarũ actor insignis.*

## ALEXANDER FORTECCIA

PAtauinus, iucunda facie, hilari aſpectu ætate noſtra floruit, Orator celebris, & Actor eximius cauſſarum. Haud illi tamen par animus corpori, & mollis fuit; ſed auidus gloriæ, varijs ſtudijs amicorum conſuetudinem ambitiosè coluit, pariquè in dictis, & factis libertate vſus, luxu, & magnificentiâ, mirâ cũ ingenij amænitate permixta, famã apud omnes inſignem emit. Lautè perpetuò vixit, at, qui florentis ætatis annos in delitijs abſumpſerat, eò deuenit Senex, vt diſſolutis artuum viribus, ſella tantùm vectus, loco moueri poſſet, in quâ etiam ſedens ad Magiſtratus oraturus accedere conſuerat. Eâ verò verborum, & ſententiarum copiâ perorabat, vt adſtantium animos facilè pertraheret in admirationem ſui. Fiſci partes, hac in noſtrâ ciuitate, à Sereniſs. Senatu Veneto ſibi delatas, egregiè obiuit. Perennes itaquè conſultandi, & perorandi labores; nec non & incommoda valetudo, in cauſsâ fuerunt, ne Poſteris vllum ſingularis ingenij ſui monumentum relin-

linqueret. Consumptis opibus Senex obijt III. Idus Martij, anni salutaris CIↃ. IↃC. XIII. cum annis LXIIII. inter mortales degens eorum prodesse commodis studuisset. Sepultus est à filijs in Ecclesiâ Monialium Misericordiæ ad Pratum Vallis, inter Auorum cineres, Epitaphio nullo.

Effigies petita est ex originali tabellâ nostrâ, opere Paulini Apollodori, Patauini Pictoris nominis non obscuri.



NICOLAVS DE PASSERIBVS A GENVA PATAVINVS
IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR.

# NICOLAVS PASSERA

DE Ianua Patauinus, illegitimis natalibus ortus, tantùm ingenio, & doctrinæ suæ præstantiâ profecit, vt alios parasangis innumeris superarit. Erunt igitur, quibus hoc breui scripto non tam laudes eius percensere, quàm ingens amicorum, & ciuium ex eius immaturâ morte vulnus acceptum refricare voluisse videar, & publicæ calamitatis memoriam renouare. Is ex Patre Bartholomæo Equite, qui genus referebat suum ad MARCVM ANTONIVM GENVAM, Philosophum eximium celebratum antè, vitalem hanc lucem hausit, sortitus fratrem Marcum Antonium Philosophum, qui ob assiduos studiorum labores typsico morbo correptus, vt ex eo conualesceret in Villâ S. Georgij Tresmontio, inter Colles Euganeos ignoti sanè nominis, rure; sed amœnitate situs ac aeris dulcedine delitio Montium reliquorum, veluti in Pomario artificialem memoriam exercuit, ac eodem inualescente Patauium redijt, vbi in ipso gloriæ limine occubuit, mœrente bonorum

rum omnium, & literatorum cœtu. NICOLAVS primâ ſui iuuentâ maximâ ſciendi cupiditate flagrauit, ideòquè Philoſophiæ primùm, mox Cæſareo, & Pontificio iuri operam dedit. Cumquè plurimùm ijs in ſtudijs profeciſſet, eorundem difficiliora Theoremata, publicè propoſita, triduò in æde D. Antonij defendit, liberâ vnicuique argumentandi facultate conceſsâ. Laureâ poſtmodùm inſignitus Conſultationibus, & Forenſibus cauſſis operam nauare cœpit, & contendente in dies cum ingenio memoriâ, quam fęcundiſſimam habebat, cauſſarum actores reliquos anteibat: Vir lætus, & affabilis amicorum conſuetudine mirificè capiebatur, quorum Genium ſale, & facetijs plurimùm oblectabat. In aliorum iuribus tuendis aſſiduus, ità reis aderat, nihil vt ſibi, quod vel ad magni ingenij experimentum, vel ad laudem, & celebritatem nominis attineret, paruipendendum eſſe duceret, moleſtijs & laboribus omnibus exantlatis. Ætatis anno XXX. Ciuilibus patriæ Comitijs habilis effectus eſt ob merita, quod illi natales anteà denegarant, publiciſquè tùm primùm munis præfectus eſt.

 Per-

Peramplam Bibliothecam ære multo confecit, quam, non ſecus ac domum ipſam vniuerſam, amicis, & ſtudioſis omnibus ſummâ animi liberalitate aperuit. Scriptioni deditus *Commentarios in Inſtitutionum libros* elucubrauit, qui apud me calamo exarati extant. Ad hæc Tractatus duos de *Scripturâ priuatâ, & de Verbis Enunciatiuis*, qui tribus ordine ſequentibus annis, tribus diuerſis in locis, ſemel, iterùm, ac tertiò excuſi ſunt. Studebat eorumdem impreſſioni quartæ, quàm inſigniter auxerat, & alium inſuper *Tractatum abſoluerat de Teſtamentorum Cedulâ*; cum Orbi triſti funere ſublatus eſt, ac vnà auctarium illud Tractatuum toties editorum, & Tractatus Quartus, xx. propemodùm foliorũ interijt magno Reip. literariæ damno. Volumen præter hæc edidit, inſcriptum, *Conciliatio Legum*; quòd in eo leges varias, ſibi inuicem aduerſantes, facilitate feliciſſima conciliarat. Immaturo occaſu extinctus viuere deſijt ætatis anno xxxI. proceræ, & præpinguis ſtaturæ Vir, facie pallidâ, ore libero, ab illecebris penitus non abhorrens, ſtudiorum laboribus nunquàm fractus,

gloriæ

gloriæ appetens, in iuris Scientiâ re verâ præ-ſtans, iuuandis amicis & libris conſcribendis natus. Varia præter libros editos amicis moriens ex teſtamento legauit, muneris extremi loco, & in his Fratri meo, Paulo Tomaſino I. C. Cubiculi ſupellectilem neutiquàm aſpernandam, & aureatum fulcrum, non leue amoris, & beneuolentiæ mutuæ monumentum. Humatus eſt in Eccleſiâ D. Ioannis in Viridario, vbi loci Maiorum oſſa placidè quieſcebant. Bibliothecam, ne veniret, fideicommiſſum fecit, quæ poſt hæredis obitum ad dictæ Patres Eccleſiæ deueniret; ſed fruſtrà: Quæſito quippe prætextu diſſoluendi alieni æris, ſub haſtâ venditam hæres eius abſumpſit, collachrimantibus Nicolai amicis, qui tanti theſauri iacturam agerrimè perferebant. Natus anno CIↃ. IↃ. LXXXV. VI. Kal. Aprilis poſt Meridiem, Obijt III. Nonis Octobris anni CIↃ. CIↃC. XV. Imago, quam dedimus, efficta tota eſt ad ſimilitudinem exemplaris Zachariæ Zaninelli Pictoris æui noſtri non incelebris, cui Eulogium huiuſcemodi ſubiectũ legitur in Muſæo noſtro.

NICOLAO PASSERÆ
DE IANVA
IVRISCONSVLTO CELEBERRIMO
INGENIO SVPRA NATVRAM
EXCELLENTI
CALAMO LEGES CONCILIANTI
VOCE REOS MIRIFICE DEFENDENTI
HOCCE GRATI ANIMI
MONVMENTVM POSTERIS
IAC. PHI. TOM. MOERENS P.

TE-

# TETRASTICHON IO: BAPTISTÆ PASSERÆ GENVÆ PATAVINI

## IN LAVDEM EIVSDEM.

*Inuida Parca mihi vincenti funus acerbum.*
*Non iaceo: doceo: scripta per ora volant.*
*Arte, labore nothum mutauit Gloria Iuris.*
*En* NICOLAVS *Passer notus vbique viget.*



NV-

NVMISMA
CVSVM AB AMICIS
LIBERALITATI
NICOLAI GENVÆ I. C.
MVNIFICENTISSIMI.




GALEO-

## GALEOTVS FERRVS

PAtauinus, I. C. Clariſſimus anteactis annis floruit, hodieq́uè nomen eius latè volitat per viuentum ora. Legalibus ſtudijs addictus, modo in forenſibus cauſis, modo in conſultationibus Oratoris Iuriſconſultiſſimi, & Iuriſconſulti eloquentiſimi elogium tulit. Hiſce primùm gradibus non ſolum fortunam domus; ſed & patriæ ſuæ decus mirificè auxit, admirationi cunctis, quòd ad ſummum Iuriſprudentiæ faſtigium adeò celeriter euolaſſet. Pulchram à Naturâ faciem accepit, quam integerrimis moribus exornauit, varijs in primis animi dotibus præſtans, & affabilitate cunctorum amorem nactus. Verùm enimuerò, cum multum in patriâ deſudaſſet, ſummo cum honore vocatus eſt ad interpretandam Iuris Ciuilis ſcientiam in Academiâ Salernitanâ, anno CIↃ. IↃ. LXXXXII. loco principe, & amplo ſtipendio, decoratus. Eo in munere cum præclariſſimè ſe geſſiſſet, anno CIↃ. IↃ. XCVIII. ad Meſſanenſem Vniuerſitatem accitur, Col-

lega

lega extitit IACOBI GALLI Neapolitani, primam tùm Iuriſprudentiæ Cathedram obtinentis: nec multò poſt, cum vnus doctrinæ ſuæ radijs aliorum luminibus tenebras offudiſſet, à Meſſanenſibus in Ciuium ſuorum numerum adſcriptus eſt. Dimotus inde à Senatu Cataniæ, vitam inibi per annos aliquot, quâ legendo, quâ conſulendo ſuam alijs operam nauans, felicem duxit, donec inualeſcente ætate, in patriam redijt, vt ei labores ſuos reliquos deuoueret. Itaquè denuò vocatus à Meſſanenſibus, vt loco IACOBI GALLI Lyceum ſuum publicum illuſtraret, reiectis ſtipendijs, quibuſcumq; patriâ pedem efferre noluit conſtantia ſummâ, quò proprijs lucubrationibus, & quieti vacare commodius poſſet. Ceſſit ei res ex voto, quippe nunc in Vrbe, nunc Ruri dies vltimos, ſibi canens & Muſis, honeſtiſſimo fine concluſit, anno CIↃ. IↃC. XIIII. Ex Cęcilia Montana filios ſuſcepit, qui nunc laudabiliter viuunt. Scripſit *Volumen Vnum Conſiliorum*, quod lucem publicam propediem hauriet, nec non & *in Lecturas Matutinas Prælectiones, & Scholas*. Sepultus eſt


priuatâ

priuatâ pompâ, in Eccleſiâ D.Luciæ ſacrâ, vbi Sepulchrum eius vix apparet temporis iniuria fractum, abſumptâ quoq; magnâ parte Stemmatis, & deletâ. Meminit inter cæteros Galeatij Ferri Vir eruditus Fr. Angelus Portinarus in Opere, quod *Paduæ Felicitatem* inſcripſit. Extat & familiæ huius mentio non obſcura in Eccleſiâ D.Laurentij, hoc verborum nexu, quem vnà cum Stemmate hic ſubnecto.

HIC IACET
NOBILIS VIR
DOMINVS FRANCISCVS A FERRO
DE PADVA
QVI PRO SE ET SVIS HÆREDIBVS
HANC FIERI PROCVRAVIT.
M. D. XXVIIII.
DIE VIII. OCTOBRIS



GALEO-


FRANCISCVS VIDVA PHILOSOPHVS
Ac I.C. Patauinus

# FRANCISCVS VIDVA

PAtauij ex Patre Maximiliano natus, præclaris animi dotibus inſignitus, humanioribus ab ineunte ætate literis conſecratus, primum in Etruſcis, mox in Latinis, demùm in Græcis tyrocinium poſuit. Progreſſus hinc ad ſtudia grauiora, Philoſophiam à præſtantiſſimis eius æui Doctoribus hauſit; dequè Patris conſilio Iuriſprudentiam, poſt decurſum Philoſophiæ ſtadium, amplexus eſt eo animi ardore, vt adeptâ facultatis vtriuſquè ſcientiâ, ijs honoribus fuerit decoratus, qui ſtrenuis Rei Litterariæ Athletis deferri ſolent. Vix metam ſtudiorum ſuorum attigerat, cum erudiendis alijs ſe addixit. Colore illi fuſco facies notabatur, ſpecioſâ fronte. Multa capiti caluities inerat, ori facundia multa, leporquè tantus, vt ab omnibus amaretur. Ciuili quippè conſuetudini natus, ad omnes Vrbanitates, & Veneres ſuoptè Genio ferebatur. Communis omnium opinio fuit, eum, cum palàm generoſam profiteretur animi libertatem, virentem adhuc ætatis flore, literariæ glo-

riæ

riæ palmam nemini conceſſiſſe. Illuſtribus, & eruditis iuuenibus, tùm ſuis, tùm exteris apprimè carus, operam ijſdem ſuam ſolers impendit, quà Logicam, quà Cæſareas Inſtitutiones, quà totius Antiquitatis arcana docens: Virtutibus etiam, quæ ad mores attinent, & animum reſpiciunt, mentes eorumdem inſtituens, & effingens. Itaquè Domus eius, in S. Crucis Vico, parua licet & humilis, celebrabatur ab omnibus, vti Morum, Virtutumquè omnium ſacrarium, & aſylum. Quiſquis illi ſemel aures dederat, non poterat ſatis eius humanitatem eximiam non admirari, nec vocem iteratis acclamationibus non venerari. Profeſſus aliquandiu fuerat Inſtitutiones Imperatorias in Gymnaſio patrio, cum anno ætatis XXXV. Pandectarum Cathedram eodem in Gymnaſio conſecutus eſt, quam per Hiſtoriarum, & Antiquitatum munimenta vagans, quæ probè norat, eminentiori gloriæ radio decorauit. Eloquentiam eius abundè, clarèquè teſtantur Orationes aliquot typis editæ, aliæquè calamo exaratæ; ſed habitæ in publicâ Academiæ Ricouratorum luce. Vnico filio auctus

auctus, dum ad summum gloriæ fastigium properaret, terris ereptus est, ætatis anno XXXXV. VIII. Id. Maij: Salutis verò CIↃ. IↃC. VIII. priuatoquè funere delatus ad Ecclesiam Monialium in Bethleem ad Pratum vallis, inibi sine vllâ memoriâ tumulatus est. Effigies exemplar optimum refert, quod in Fratris mei Musæo visitur, ætatis annorum XXXI.

Scripsit

Scripsit

*Orationes complures iam editas, quarum vna est, in Obitu Guidi Panciroli I. C. Altera in Obitu Angeli Matthæaccij I. C. Tertia in Ingreßu ad Pandectarum Lecturam. Quarta, de laudibus Historiæ: Aliasquè non editas; sed habitas publicè in Academicorum Ricouratorum cœtu.*

*Apud me eius in Porphyrium Introductio extat, nec non & Commentarij in Logicam Manuscripti.*

*Commentarios in Institutiones Cæsaris manus Alumnorum eius quotidie terunt.*

*Historiarum Ephemerides inchoarat, eius mihi rei testibus Eruditissimis Viris, Abbate Albertino Barisonio, & Laurentio Pignorio; sed quid in illis profecerit ignoramus, cum nulla pars earum extet.*

PRO-

# PROSPER FARINACIVS

NVlla huius eximij Iuriſconſulti effigies exhibetur, quòd cicatricibus varijs deformata militem potius, quàm Iuriſperitum repreſentare videatur. Vir fuit peracris ingenij; verùm ità propenſus ad fallendum, & interpretationem iuris in quamcumq; partem, vt in eius ore verum à falſo minimè decerneretur. Nam & reos defendere, & innoxios impetere, & Iudicum acies tùm palam, tum ſcriptis obtundere corradendæ pecuniæ gratiâ, minimè dubitaſſe fertur. Critici quoquè nomine vapulabat, quòd in aliorum cauſſas inueheretur acriùs, quàm deceret, reoſquè libertate nimiâ laceſſeret, & morderet. Non paucis honoribus Aulæ decoratus, Fiſci partes in Vrbe Romanâ probè ſuſtinuit, operamquè ſuam Summis Pontificibus impertiuit; ſed erumpente animi libidine in præceps raptus parum abfuit, quin publicâ animaduerſione plecteretur, niſi Rom. Patrum, & Procerum, ac præſertim Cardinalis ab Altaemps benignitate fuiſſet adiutus, quibus viſum eſt hominis

minis

minis caſus æquâ lance cum totidem eiuſdem virtutibus compenſare. Reliquum inde temporis ſpatium, compreſſo naturę ferocioris impetu, ſcriptioni dedit, præclariſſimis editis ingenij monumentis, quæ producemus infrà. Opibus relictis maximis exceſſiſſet è vitâ, niſi illam in luxu ferè perpetuo tranſegiſſet. Septuagenarius è viuis abijt, condito cadauere in Eccleſiâ S. Silueſtri Patrum Theatinorum apud Penamontem cum huiuſcemodi monumento.

OSSA
PROSPERI FARINACCI
I. C. ROMANI
NAT. DIE XXX. OCTOBRIS
M. D. XLIIII.
OBIIT IPSO DIE ABEVNTIS
M. DC. XIII.

Opera,

Opera, quæ edidit, hæc feruntur.

*Praxis & Theorica Criminalis in varios Tomos diſtributa, in quâ continetur de Teſtibus Tomus Vnus.*

*Variarum opinionum Tomus alter.*

*De falſitate, & ſimulatione contractus Tomus Vnus.*

*De Furtis Tomus Vnus.*

*De Hæreſi Tomus Vnus.*

*De Immunitate Eccleſiæ Tomus Vnus.*

*Fragmenta Criminalium Varia.*

*Varia Quæſtionum Tomus Sextus.*

*Conſilia, & Deciſiones variæ.*

*Deciſiones Nouiſſimæ Nouiſſimarum in Tom. IV.*

*Et alia præclariſſima opera, quæ Voluminibus XIII. comprehenſa ab omnibus probantur.*



MARCVS ANTONIVS PEREGRINVS
I.C. EQVES ET A SECRETIS SER. REIP. VEN.

## MARCVS ANTONIVS PEREGRINVS

EXimij Viri, & Equitis MARCI ANTONII PEREGRINI, Iuriſconſultorum æui ſui facilè Principis, acta egregia non breui coarctarem elogio, ſed vberiori oratione narrarem, niſi hæc ipſa ( propter Fratris mei cognationem ) vno aliàs volumine complexus eſſem. Sat hic erit igitur in eius laudem id ſcripſiſſe, PEREGRINVM noſtrum æquè ac ALEXANDROS, BARTHOLOS, IASONES, DECIOS de vtroquè Iure benemeritum præluxiſſe Orbi, planèque inuidi, vel imprudentis eſſe eius monumenta calami non mirari. Natus eſt anno CIↃ. IↃ. XXX. Kalendis Auguſti ex Melchiore Patre, honeſtiſſimo Viro, partâquè Iuris vtriuſquè laureâ Cęſareas Inſtitutiones in ſecundâ publici Gymnaſi ſede promeridianis horis docere cœpit anno ſalutari CIↃ. IↃ. LVII. Inde cauſſarum actor celeberrimus Fiſci partes ſibi à Sereniſſimâ Republicâ Venetâ commiſſas in hac Vrbe per annos LVI. magnâ cum ſui nominis commendatione ſuſtinuit. Varijs adhæc peregrinationibus, pro eâdem ſummâ fide ſuſce-

ptis

ptis, clarus anno CIↃ. IↃ. LXXXXVII. à Secretis illius Consultationibus fuit, miraquè pro Principe suo, proquè Venetorum libertate, & Iurisdictione scripsit. Donatus ob id aureâ torque in Equestrem ordinem D. Marci cooptatus est anno CIↃ. IↃICIX. Et anno CIↃ. IↃC. III. defuncto BARTHOLOMAEO Syluatico, Principem Iuris Pontificij tradendi locum adeptus in Patauinis Scholis, toto terrarum Orbi notus, ingentes sibi, ac nomini suo opes, & honores peperit, ore, & calamo per insignis. Anno demùm CIↃ. IↃC. XVI. à salute partâ Nonis Decembris, ætatis suæ LXXXVI. adeò lentâ febre correptus interijt, vt vix mortis videretur aculeum sensisse. Summo Ciuium, & Academiæ totius mœrore viuis erepto Illustrissimi Vrbis Rectores vnà cum Academicis, & Ciuibus insigni pompâ in Cathedrali Ecclesiâ parentarunt: dequè illius virtutibus, & meritis dixit è superiore loco Magister BENEDICTVS BOVIVS, Metaphysicus Academiæ publicus, grauiter, & disertè, procurante Marco Antonio, ex fratre Nepote, & Iulio Peregrinis, qui vnanimes tanti Patrui memoriam condecorare infrâ exarato Epitaphio decreuêre. MAR-

MARCVS ANTONIVS
PEREGRINVS

ORIGINE VICENTINVS ELECTIONE
PATAVINVS IVRIS CON. EQVES
ET SENATVS VENETI CONSVLTOR
A SECRETIS SERENISSIMÆ REIP.
SVPRAORDINARIVS LECTOR
ET EX DECRETO SERENISS.
PRINCIPIS ANTESIGNANVS
DOCTORVM OMNIVM
COLLEGII PATAVINI
QVANTVS FVERIT MVLTIPLICIA
EIVS IN IVRE SCRIPTA
VBIQVE TERRARVM SÆPE VISA
SEMPERQVE PROBATA
TESTANTVR.

OBIIT ANNO CHRISTI M. DC. XVI.
DIE V. DECEMBRIS
VIXIT ANNOS LXXXVI. M. III. D. IV.

SYM-

SYMBOLVM

EIVS FVIT FAMILIÆ PEREGRINÆ

STEMMA ADDITO AB IPSO

HVIVSCEMODI LEMMATE

*SIGNAVIT VIAS.*




Egregiè

Egregiè multa ſcripſit, & varia, & hæc in primis.

*De Fideicommiſſis Volumen Vnum.*

*De Iure Fiſci libros VIII.*

*Deciſionum Patauinarum volumen Vnum.*

*Conſiliorum Volumina VI.*

*Additiones ad Bartholum.*

*Tractatus quoſdam, vt potè.*

*De ordinariâ, & delegatâ Iuriſdictione.*

*De Iudiciariâ Materiâ.*

*De Poſſeſſione, & Proprietate.*

*De Fictis modis acquirendæ poſſeſſionis.*

*De Pactis, & Conuentionibus.*

*De Probatione, Subſtitutionibus, Legitimationibus, & Capacitate monaſterij.*

Præter hæc in lucem edita, confecit Opuſculum, cui titulus, *Il Principe del Pellegrini*, in quo grauiores, ac ſanctiores ſententiæ habebantur, ac politica axiomata de Principum Iuriſdictione. Raptum id à quodam poſt eius obitum, ac tandem peruigili Sereniſs. Reipublicæ Venetæ curâ repertum, Senatus decreto in D. Marci Bibliothecâ ſeruatur.



IO: ANTONIVS MAGINVS PATAVINVS
MATHESEOS PROFESSOR.

# IO. ANTONIVS MAGINVS

STudiosissimus Mathematicarum disciplinarum cultor, Patauij ortus, vt se Fortunæ casibus, & ludibrijs subtraheret, in ore semper habuit Sallustianum illud: *Eum demum viuere, & frui animâ videri, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit.* Literarum studijs miro discendi ardore deditus, cum se Mathematicis disciplinis, sic impellente naturâ, plurimùm oblectaret, in ijs acquirendis potissimùm desudauit. In patriâ quidem *Petrum Cateniam*, & *Moletium*, Viros planè doctos, audijt, sed & alibi insignioribus Italiæ Mathematicis aures dedit, sic omnium gloriam æmulatus, vt eorundem præstantiam multis quoquè partibus superarit. Quamobrem pubescente ætate in Bononiensi Gymnasio Mathematicis legendis adscriptus, omnium mentes in admirationem, & stuporem, quâ dictis, quâ scriptis facilè pertrahebat. Quippe Vrbis Proceribus ex natalitiâ illorum figurâ multa feliciter diuina-

bat: Equitibus tiaram, & purpuratas togas, hæreditates, & acceſſus ad magiſtratus & aulas Principum: alijs vulnera, odia, exilia, domeſtica diſſidia, res aduerſas omnes, quoad eius coniectura conſequi potuit, prædicebat. Idem Aſtrologiam, aliorum nugis, & inanibus ac ſuperſtitioſis auſpicijs obtenebratam, miris conatibus illuſtrauit, & æmulis, ac inſciæ plebi, cuncta Cœlo ſubijci, à Cœlo cuncta moueri liquidò demonſtrauit. Eius ſunt Commentarij in III. Hippocratis de Diebus Criticis, & additus ijſdem Libellus *de legitimo Aſtrologiæ vſu in Medicinâ.* Cum Alphonſinæ Hypotheſes, quæ tot ſeculorum conſenſu, & applauſu vſu receptæ, & approbatæ fuerant, falſæ, nec vllo pacto cœleſtibus Phœnomenis prædicendis accomodatæ ex recentiorum accuratâ obſeruatione viderentur, nouas ipſæ cœleſtium orbium Theorias, iuxtà Nicolai Copernici obſeruationes, facili methodo promulgauit. Mox, vt omnibus ſatisfaceret, magno ſanè labore, vigilijs, & impenſis multis, præclariſſimas ſecundorum mobiliũ Tabulas edidit, ex quibus

om-

omnium Syderum æquales, & apparentes motus ad quæuis tempora mirâ promptitudine colliguntur, cum obseruationibus Copernici, & canonibus Prutenicis congruentes, easquè GREGORIO XIII. Summo Pontifici consecrauit, eo temporis articulo, quo intentus erat Anni cursui corrigendo. Quod cum fieri præcipisset, in eo MAGINI iudicium magni momenti fuit. Aulæ Romanæ gratissimus, & Italiæ Principibus, Mantuæ cum primis, acceptus, amplissima consecutus est munera, dignaquè stipendia muneribus, & honores summos. Siquidem RVDVLPHVS Cæsar ad aulæ suæ decus illum expetierat: atqui ingenij monumentis, ac Geographiæ restitutioni addictus, nec non & editioni librorum, quæ otiũ, & quietem poscit, longinquum iter arripere detrectauit. RVDVLPHVS tamen, quâ erat animi munificentiâ præditus, suo illum stipendio decorauit. Ptolomæi Geographiam primis Commentarijs, & Tabulis illustrauit: mox Italiæ delineandæ animum adiecit, eoquè in opere vsquè ad senium desudauit. Fuit Vir obesi cor-

corporis, læti vultus, laborum patientissimus, in supputationibus, & calculis Astronomicis omnibus excellens. Vxorem habuit Gradulæ ortam, quæ se trium masculorum, vnicæ filiæ Deo dicatæ parentem fecit. Ex his Fabius, & Carolus, viuente Patre interierunt; Frater verò Ioannes Antonius inter Congregationis Sancti Dominici lumina varijs virtutibus hodiè nitet. Varia scripsit, quibus toti Astronomicæ, Astrologiæ, Geometriæ, Cosmographiæ, ac reliquis Mathesis partibus lumen accendit, totq; ac tanta, vix vt longæ vitæ curriculo legi possint. Adijt demum meliores sedes anno cIↃ. IↃC. XVII. III. Id. Februarij, apoplesiâ correptus, cùm attigisset annum ætatis LXI. iuxtà iudicium suum, quod mihi, & alijs plures antè annos sibi timendum esse prædixerat. Publicis exequijs ritè condito memoriam huiuscemodi Alumnus eius Roffenus, Vir eruditissimus, posuit in Ecclesiâ Patrûm Dominicanorum Bononiæ.

D.

D. O. M.

IO. ANTONIO MAGINO PATAVO

QVI E PATRIA

AD SVPREMAM MATHEMATICARVM

SEDEM IN ACADEMIA BONONIENSI

ADVOCATVS CVM MVLTIS ANNIS

VOCE ET SCRIPTIS QVIBVS

FVLGEBAT DOCTRINÆ RADIIS

VNIVERSVM PENE ORBEM

ILLVSTRASSET

TANDEM INFESTIS ASTRORVM

SOLIS AD CORPVS MARTIS

QVOS SIBI PRÆNOVERAT

OBTVTIBVS CONCEDENS.

MAXIMVM SVI POSTERIS

RELIQVIT DESIDERIVM.

VIXIT ANNOS XXXXXXI. MEN. VII.
DIES XXVIII. HOR. I.
OBIIT ANNO M. DC. XVII. III. IDVS FEB.
SOLE CVRRENTE PROPE DIAMETRVM
MARTIS ET CIRCA EXAGONVM
SATVRNI
IO. ANT. ROFFENVS PHILOSOPH.
PVB. PROFESS.
ET MATHEMATICARVM SCIENTIARVM
STVDIOSVS
NE TANTI VIRI FAMAM
TEMPVS EDAX ABSVMERET
HOC PRÆCEPTORI SVO GRATI ANIMI
MONVMENTVM ÆRE PROPRIO
D. C.
ANNO DOMINI M. DC. XVIII.

Edita

Edita hæc ab illo sunt.

*Tabulæ Secundorum Mobilium duobus Tomis.*

*Ephemerides ab anno* CIↃ. IↃ. LXXX. *vsquè ad annos* CIↃ. IↃC. XXX. *Tomis III. cum Isagogis in Astrologiam, & de Vsu Ephemeridum, & præceptis circà Agricolturam, & Nauigatoriam latinè, quæ & etrusca veste donata leguntur cum Stellis fixis, & alijs multis eodem spectantibus; vt potè De mutatione Aeris, De annuis Reuolutionibus &c.*

*Theoricæ Planetarum iuxtà Copernicanas obseruationes. Scripserat & antè illius mortem Theoricas, iuxtà obseruationes Tichonis Brahæ quæ modo expectantur,*

*De Planis Triangulis liber. I.*

*De Dimetiendi ratione per quadrantem, & Geometriam quadratam libri V. cum tabulá Tetragonicá, & tabulâ Sinuum, & Tangentium, & Seccantium.*

*Primum Mobile XII. libris contentum.*

*Trigonometria Sphericorum.*

*Problemata Astronomica, Gnonomica, & Geographica.*

*Magnus Trigonometricus Canon cum Tabulis.*
*Commentaria in librum III. Galeni de diebus decretorijs, & De legitimo Astrologiæ in Medicinâ vsu.*
*Commentaria in Geographiam Ptolomæi, quæ etiam etrusco idiomate aucta ab auctore fuit cum tabulis mirâ arte delineatis.*
*Expositiones in Tabulas triginta septem Geographicas recentiores regionum Mundi.*
*Noua Italiæ figura, æneis formis impreßa.*
*Italiæ Regiones, Principatus, & Ciuitatum agri Geographici lineati, & formis æneis sexaginta, & vnà excusi cum Commentarijs.*
*De Directionibus quamplurimæ Tabulæ in folio primùm impressæ, idiomate etrusco pariter, & latino, & nunc in 4. Bononiæ, iuxtà Tichonis correctionem, & cum nouis Tabulis, quibusdam, quæ ad Analogias spectant, exceptis.*
*Quadrans Directorium, & Quadrans horarij Planetarum.*
*Supplementum Ephemeridum, ac Tabularum Secundorum Mobilium, iuxtà Tichonicas obseruationes methodo perfacili. Item de Meridianorum*

*norum differentiâ cum reſponſione ad Dauid Origanum.*

*De Metopoſcopiâ libri tres, & de Neis Tractatus, qui quidem omnes olim manuſcripti circumferebantur, primus nunc, & ſecundus Metopoſcopiæ ſub nomine Ciri Spontoni editi ſunt.*

*Confutatio Diatribæ aduerſus Ioſephum Scaligerum de Æquinoctiorum præceſſione, & alia ad Mathematicas ſpectantia.*

SYMBOLVM
IO. ANTONII MAGINI
MATHEMATICI
CELEBERRIMI.




ALOYSIVS CORRADINVS PATAVINVS
Juris Consultus

# ALOYSIVS CORRADINVS

PAtauinus Ciuis, HERCVLIS filius, Philoſophus, & Iuriſconſultus illuſtris, procerâ corporis ſtaturâ, comitate & vrbanitate lepidus, ingenio & eloquentiâ mirâ præfulſit, quâ cum vteretur in forenſibus cauſis pertractandis, & præſertim ijs, quæ ad crimina pertinerent, inter alios eminebat. Sermone hiſtorijs ac ſententijs pleno, voce ac geſtu reis ipſis animos Iudicum ſæpiſſimè conciliauit, quos ijſdem infenſos reddiderat accuſator. Cumquè VINCENTIVS Mantuæ Dux à Patauino Iuriſconſultorum Collegio pro re grauiſſimâ decernendâ Iuriſconſultum Principem efflagitaſſet, eò miſſus eſt, vnanimi Patrum Collegij Patauini conſenſu, CORRADINVS noſter, qui Duci gratus aureâ ab eo torque donatus abſceſſit, inſigni grati ac benè de illo meriti animi monumento. Ad hæc ſtudioſus Antiquitatis omnis eius præcipua monumenta magno labore, ac diſpendio niſus eſt colligere, Ceſarum & Imperatorum vultibus æneis, Idolis Gentium, & Sta-

tuis

tuis æneis ritè loco ſuo, & ordine diſtributis. Tot æreis, argenteis, aureis Numiſmatibus, cæteriſquè huiuſcemodi fragmentis abundauit, vt eius Bibliotheca veluti Muſeum Metallorum, Anagliphorum ac Picturarum ab omnibus coleretur; multiquè longinquis è partibus incertas Cæſarum Effigies eius ingenio, & experientiæ diudicandas permitterent, neglectis Oraculis aliorum. Sæpè, ac ſæpiùs à Conciuibus fori ciuilis Iudex electus eſt, proquè Patriæ commodis non ſemel Sapientiſſimum Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ Senatum adijt, à quo & petita, & Pandectarum Lecturam anno CIↃ. IↃC. XVI. obtinuit nemine refragante. Hîc ille Cathedræ labores nondum ſatis expertus, tantùm effecit memoriâ, doctrinâ, & varietate rerum, vt inter Doctores reliquos emineret. Eius quoquè loci, in quo pannis recenter textis carduis lana inducitur à Lanarijs, Iudex ſemel, ac iterùm ſub Rectoris nomine renuntiatus eſt, cuius ergo poſita illi legitur Inſcripto, quæ poſt Elogium afferetur. Anno ſalutis CIↃ. IↃC. XVIII. VI. Kal. Octob. diem ſuum clauſit, annos

natus

natus LVI. priuatoq; funere conditus in D. Danielis templo. Circumfertur ab eo typis tantum edita Series Cæsarum ex Numismatis. Licet enim libros aliquot DE REPVBLICA confecisset, cœpissetquè Dialogum etruscâ linguâ DE DEO, ET HOMINE, inter se loquentibus, Marco Antonio Ianua, & Trifone Gabriele, & Antipodo; nec non & Allegationes multas, nihil tamen horum Filijs eius dignum est visum publicâ ingeniorum luce, quòd morte præuentus extremam ijs manum addere nequijsset. Filijs pluribus relictis excessit è vitâ; quorum è numero superstites fulgent Hercules, & Bonacorsus, qui diligentissimi virtutis eius hæredes, Numismata eiusdem seruant vnà cum Bibliothecâ, picturis, statuis, & antiquis monumentis alijs exornatâ. Memoriam eius tuentur Inscriptiones aliæ duæ, quarum vna legitur in Turri Plateæ Maioris Patauinæ Vrbis iuxtà Horologium; In S. Francisci Xenodochio altera.

Exemplar Imaginis deprомptum est ex Alexandri Bassani Equitis, & Pictoris tabulâ per insigni.

Inscri-

Inſcriptio prima ALOYSIO CORRADINO poſita à Lanarijs Patauinis.

ALOYSIVS CORRADINVS
HERCVLIS FILIVS
COLLEGIO NOSTRO PRÆFECTVS
ITERVM EIVSDEM PATRONVS
PERPETVO IVRISDICTIONEM
PROTEXIT
IVRA PROPAGAVIT
FVLLONICÆ ANTEA VAGÆ
DOMVM STATAM
OFFICINAS INSTRVCTAS
AQVAM PERENNEM
ATTRIBVIT.

Inscriptio altera in Turri Plateæ Maioris

ALOYSIVS CORRADINVS DECVRIO
OPVS PROB.
ANNO AB. V. C. M. M. D. CC. XXXIII.

Inscriptio Tertia in Xenodochio S Francisci.

ALOYSIO CORRADINO
COLLEGII IVRISCONSVLTORVM
PRÆSIDE
ET BERNARDO SCARDEONIO
HOSPITALIS OECONOMO
HÆ SCALÆ STRVCTÆ SVNT.

# ANGELVS SAXVS IVRISCONSVLTVS PATAVINVS infeliciter interemptus.

IVrè admiramur, & ægrè ferimus dura exitia Virorum præclarissimorum nostræ Ciuitatis, inconstantiamque syderum fatali conspiratione in Ciues nostros, benè de Republicâ literaria meritos, deploramus. Dum eorum laudes, magistratus honores, & opera recensere, non autem calamitates, ac violentæ mortis interitus conscribere gratius esset. Attamen reticendi non sunt, ne obliuioni eorum virtutes traddantur. Vnus est ANGELVS SAXVS, Patauinus Ciuis, & celebris Iurisprudentiæ Doctor, altæ staturæ vir, & læti vultus; colore tamen plumbeo albis oculis, fronte linearum capillarium plenâ, virtutibus varijs, & ingenuis artibus perornatus. Hic omnibus literarum studiosis amabilis à Serenissima Republicâ Anno CIƆ. IƆ. LXXXXVIII. Lecturæ Iuris Canonici de sero, vt aiunt, se-

cundo loco, centum florenis propositis, adscriptus est: at, aucto statis temporibus à Sereniss. Senatu stipendio, quadrigentis singulis dein annis aureis honestatus est. Eâ in lecturâ clari, & dilucidi Interpretis nomen tulit. In caussis etiam forensibus consultus excelluit: cumque ad maximos Iurisprudentiæ honores, increbescente in dies nominis, & virtutis eius famâ, eueheretur, Fortuna secundis aduersa miscuit, vitamque eius violenti fato conclusit. Siquidem Anno CIↃ. IↃC. XVIII. sub Auroræ ortum, die Veneris Dominicæ Passionis sacro, domi à scelestissimo olim familiari suo de medio tollitur, & fœdè dilaniatur, cum ageret ætatis annum quinquagesimum. Sepulcrum habuit in Ecclesia Patrum D. Mariæ Seruorum inter Maiorum suorum cineres, nec vllum eius in lucem positum monumentum extat.

His ferè temporibus obijt NICOLAVS SANGVINACCIVS Patritius Patauinus Philosophus, & Theologus mihi summâ necessitudine coniunctus, cuius ingenium, ac laudes alibi recensere

sta-

ſtatuimus , dum de hac nobiliſſimâ , & antiquiſſima familiâ Sanguinaccia quædam inſignia monumenta adnotauimus.





IACOBVS GALLVS NEAPOLITANVS
*Iuris Consultus Clariß.*

# IACOBVS GALLVS

NEapolitanus Iuriconſultùs, & Eques, æui ſui ſplendor clariſſimis ortus natalibus, heroicis moribus; ingenio, & eloquentiâ præſtantiſſimus, ob eximias animi ſui dotes ab Hiſpaniarum Rege vnus è multis electùs eſt, qui Meſſanenſe Gymnaſium, ſuo auſpicio conditum, illuſtraret. Inde magnis precibus, millequè aureorum honorario propoſito à Sereniſſimâ Venetorum Republicâ accitus in Academiæ Patauinæ lucem, eò ſe contulit anno CIↃ. IↃC. II. vbi inſignis Legum interpres Principem Iuriſprudentiæ locum ſemper obtinuit. Mira eius, tùm in legendo facundia & maieſtas, tùm in ſcribendo facilitas & methodus elucebant. In Conſilijs dandis adeò celebris eius propè diuinæ Sapientiæ fama percrebuerat, vt plerique ex vltimis Europæ receſſibus Patauium, nominis eius celebritate permoti, confluerent, Lyceumquè publicum ſtudioſius multo quàm vnquàm anteà frequentarent. Dicendo vſquè adeò valuit, vt aures audientum lepore, ani-

mos

mos copiâ deuinciret. Scripsit Allegationes, & Consultationes in vtroquè Iure multas, vt occasio tulit, licet nihil hactenus sub eius nomine typis excusum extet. Versantur quidem in manibus Alumnorum eius Perlectiones aliquot & Interpretationes legum, & ab ijsdem ingenti cum fruge versantur. Studiorum laboribus fessus: imo luminibus ferè captus, ægrè vitam sibi acerbam trahens, quiescere cum posset, noluit, & tres adhuc annos in legendi, & docendi munere, excitatus magnitudine gloriæ, ac hominum applausu, strenuè adeò perstitit, vt Vniuersitatis frequentia fateretur in eo altioris eruditionis copiâ defectum luminis, & roboris compensari. Viuere deniquè desijt anno CIↃ. IↃC. XVIII. mense Maij, cum annos explesset LXVI. ex quibus XVI. impenderat Lecturæ publicæ Patauinæ. Cadauer extincti in Ecclesiam D. Antonij ab vtraquè Vniuersitate delatum est, commemoratis inibi Viri Summi laudibus à Sigismundo Boldonio luculentissima Oratione, quæ extat. Imaginem eius Paulus Tomasinus Noster gratissimæ memoriæ monumen-

mentum, raro Franciſci Porciæ pennicillo expreſſam, ſuo in Muſæo ſeruat, vt qui ab illo Doctoratus inſignibus anno CIƆ. IƆC. IV. fuerit exornatus.

Eiuſdem porrò facundiæ non vulgaris argumentum habes Numiſma, quod proprium illius fuit, mihiquè placuit hic afferre.



## CVRTESIVS CVRTESIVS, ET FRANCISCVS PIGNA.

CVRTESIVS CVRTESIVS, Patauinus ciuis, liberalibus Disciplinis addictus, Musarum Italicarum alumnus, Poematibus Lyricis nominis sui famam perennem reddidit. Conscripsit enim mole quidem exigua; sed eruditione ingentia Poemata multa idiomate Etrusco: DIVAE nempè IVSTINAE *Vitam, & Necem tragico carmine:* & ORESTILLAE, *Nemorum ac Syluarum Regiæ Nymphæ, infelices amores agresti, sed pleno versu*, se ipsum animiquè sui sensa sub inuolucro DAPHNIS, mirificè persecutus. Amores etiam AMINTAE vario carminum nexu pulcherrimè lusit: longèquè plura palàm extarent excusa typis, ni mors præueniens, & Agnatorum ignauia eorum copiâ Posteros fraudasset. Interijt IV. Februarij, anno reparatæ salutis CIƆ. IƆC. XVIII ætatis verò LXVIII. & in Ecclesiâ D Marci iacet.

Ijsdem ferè artibus, & dotibus inclaruit FRANCISCVS PIGNA, Curtesij conciuis, & ami-

amicus. Vir is iucundæ cum primis consuetudinis amenitate amabilis, & illecebris ingenij varijs omnium animos mirum in modum oblectabat. Oeconomiæ deditus, & in assiduis Amicorum congressibus occupatus nihil edidit. Consuluit de Honore non rarò, Ciuiumque suorum litibus, & discordijs auerruncandis sedulam semper operam dedit. Laudum eius summam complexus est eruditissimus Abbas ALBERTINVS BARISONIVS in suo Mercuriali, & Satyrico somno, vbi loci FRANCISCVM PIGNAM in ædibus Delphicis sibi repertum asserit vnà cum antè laudato CVRTESIO. Cæterùm Pigna, non sine Patriæ suæ dolore & iacturâ, senectute confectus vitale lumen amisit, ætatis anno LXXX. ferè peracto; cumquè lucis huius vsurâ fruebatur, idcircò cuncta idiomate italo conscribi maximè peroptabat, quòd eius idiomatis nobilitate maximè caperetur. Eadem Curtesij mens erat. Quamobrem vterquè cæteros ad id studij genus acriter adhortabatur. Nec desunt eximij Viri, qui hoc ipsum hodiè sentiant, & alijs persuadere nitantur, è quibus mihi præ cæte-

ris nominandus V. N. & R. CRESCENTIVS SACCARDVS, Illustriſs. & Reuerendiſs. IO. BAPTISTÆ AGVCCHIÆ, Archiepiſcopi Amatenſi, & apud Sereniſſimam Rempub. Venetam VRBANI VIII. Pont. Opt. Max. Legati à Secretis, amicumquè caput Muſis, Virtutum & Gratiarum omnium numeris abſolutum, cuius ego dicta, & cogitata plurimi ſemper feci.

HIERO-


HIERONYMVS FABRICIVS AB AQVAPENDENTE EQVES
MEDICVS ET ANATOMICVS.

# HIERONYMVS FABRICIVS

AB *Aquapendente* dictus, è ciuitate Tusciæ inter Phaliſcos Aquapendentis nomine, honeſtis maioribus natus virtute ſuâ generi per ſe claro, & illuſtri Patriæ lumen ingens accendit. Patauium, bonarum aſylum artium, bonis auibus, ineunte adoleſcentiâ ſe recepit, ibiquè alienam receptus in domum quorundam nobilium Venetorum ex Lauredanâ Gente, ſub eorum clientelâ prima Græcæ, Latinæquè linguæ rudimenta didicit: mox & Logicam, & Philoſophiam omnem. Cumquè iuuenis, & ſingulari memoriâ, & acri ingenio præditus eſſet, non ſolùm Viros illos nobiles obſequio, ſed & animi candore, & ingenuitate demeruit, moribuſquè ſuauiſſimis, & aſſiduis lucubrationum laboribus ingenia eorum, quâ exemplo, quâ exercitatione ad amplectenda literarum ſtudia mirificè excitauit; ferentibus opem illis viciſſim FABRICIO, vt ad Medicinæ ſtudia ſe conferret. Quare tùm in publicis Doctorum ſcholis, tùm in priuatis congreſſibus erum-

pente

pente iam, veluti è latebris, AQVAPENDENTIS famâ, omnium omnino animos admiratione complebat. In Medicinæ castris Gabrielem Fallopium, clarissimum eius facultatis Interpretem, æui sui Æsculapium, præceptorem habuit, cuius ex ore, cum eius scholas frequens adiret, & eodem familiariter vteretur, facultatis illius flores apis instar sedulæ colligebat, & in Commentarios redigebat. Senem illum in curandis etiam vulneribus adiuuabat, &, vbi res ferret, corporibus humanis secandis suam ipse operam impendebat. Doctoris tandem insignia meritò consecutus, maximo Virtutis & Gloriæ desiderio flagrare cœpit. Itaquè præceptoris sui vestigia persecutus ad morbos sanandos, ad curanda vulnera, ad Anatomen exercendam se se totum eo conatu contulit, vt decedente FALLOPIO nullus illo dignior, vel aptior sit repertus, cui Anatomes exercendæ prouincia à Serenissimâ Rep. Venetâ mandaretur. In eâ toto ille terrarum Orbe percelebris quadriginta annorum spatio singulari omnium applausu versatus est, dictusquè omnes Anatomicos suæ memo-

riæ ſuperaſſe. Primus is fuit, qui Patauinis Athenis à Sereniſſimo Senatu Veneto Theatri Anatomici ornamentum impetrauit; in eoquè primus admirabili auditorum concurſu, & ſpectatorum ingenti corona corpora humana diſſecuit. Chirugiam multis, & varijs animaduerſionibus lucupletauit, nouis inſtrumentis totam artem inſtruxit, & faciliori methodo plurimas operationes Anatomicas ſic abſoluit, vt eius tum ære, tùm ingenio Chirugiam illuſtratam Neoterici liberè fateantur. Morbis omnibus, etiam cum de ſalute planè conclamatum videretur, mirabiliter occurrit. Quam ob cauſſam Principibus Italis, & totius terrarum orbis Regibus carus, & ab omnibus mirum inmodum expetitus, tanto erat in pretio, vt ei certatim omnes, tamquam nouo Numini, vitæ ſuæ incolumitatem referrent acceptam; nec niſi regijs decoratum muneribus ab ſe dimitterent; eius demum imaginem in Bibliothecis, & Muſeis ſuis ſummo in honore habitam collocarent. His dùm bonis animi abundabat, Fortunæ quoquè muneribus affluxit. Siquidem ingentes opes ſua

ſibi virtute collegit, neptem ex fratre Senatori Veneto nuptui tradidit, Patauinæ ciuitatis iure donatus eſt, & , publicæ Lecturæ ergò, mille aureis, ac demùm ex Sereniſſimi Senatus Veneti decreto Anteceſſoris Supraordinarij titulo, Collegij ingreſſu, Equeſtri dignitate, ac aureâ Torque meritò decoratus. Vbi nec tacendum illud, quod cum Illuſtribus viris operâ ſuâ perbenignè præſtitâ, oblatam ab eis mercedem conſtantiſſimè recuſaret, varijs ab ijſdem, & ingentis pretij muneribus tùm aureis, tùm argenteis ornatus fuerit, quibus omnibus ritè, & ordine vno in cubiculo diſpoſitis, talem præ illius foribus Inſcriptionem adiecit.

LVCRI NEGLECTI LVCRVM.

Quâ quidem & humanitatem ſuam, & aliorum munificentiam introeuntibus omnibus aperiret. Extrà portam S. Crucis, quarto ab Vrbe lapide, ad Monticuli formam ædificium ingens extulit, quod adhuc ſortitum ab Auctore & à Forma nomen ſeruat, & *Aquapendentis Monticulus* appellatur. Varia, & illuſtria opera in Chirugiam, Artem medicam, & Ana-

tomen typis edenda curauit. Cibi minimi senex; quiquè vel ætate longæuâ fessus gestatoriâ sellâ deferebatur ad inuisendos ægros, anno Ætatis LXXX. leuem in morbum incidit, ex quo breui pristinæ valetudini redditus, dum proprijs rebus consulit, & testamentum condit, prospiciens nouos affines non generis conditionem quæsijsse; sed opes oppugnare cœpisse, fractus animo, grauiter iterùm ægrotauit, quòd ab ijs, quorum fide maximè nitebatur, violenter haberetur in dies magis, ac magis. Quamobrem ingrauescente morbo, vitâ demùm excidit, & qui secundam planè, dùm viueret, diuitijs & honoribus auctus, fortunam expertus fuerat, omine tandem infausto eandem sibi aduersam, & noxiam adinuenit. Die funeris celebratus est publicè, ab Erudito Viro Io. Thuilio Maria Montano; & in Ecclesiâ S. Francisci conditus absquè Epigraphe.

Effigiem debemus Tabulæ à Francisco de Portia pictæ, quam inter delicias suas numerat Vir humanissimus, & ad obsequia quæquè paratissimus MARCVS FRANZINVS Patauinus Ciuis.

In

In Anatomici Theatri ſuperiori orbe hæc de Fabricio extant.

HIERONYMO FABRITIO
AB AQVAPENDENTE
XXX. IAM ANNOS ANATOM.
PROFESSORE.

Conſcripſit.

*De Viſione.* *De Voce.*

*De Auditu.*

*De Muſculi artifitio, & de oſſium dearticulationibus Tractatus breues.*

*De motu locali animalium ſecundum totum.*

*De Gula, de Ventriculo, & Inteſtinis.*

*De Reſpiratione, & eius inſtrumentis libellos duos.*

*De formatione fœtus in fol.*

*De ouo, & formatione oui in fol.*

*De Brutorum loquela in fol.*

*De Oſtiolis Venarum in fol.*

*De Locutione in fol.*

*Pentateucum Chirugicum in fol.*

*Operationes Chirurgicas in fol. & alia multa prudentiſſima opera in Medicinâ.*

## NVMISMA HIERONYMI FABRICII AQVAPENDENTIS ANNIBALIS TOSSATI PATAVINI OPVS.




## EPIGRAMMA.

*Martia Fabricio iactat se nomine Roma,*
*Pendula Fabricium tu quoquè gignis Aqua.*
*Nobile Fabricio genus, inclita Roma, dedisti;*
*Pendentem hic contrà nobilitauit Aquam.*

Ioa. Th.


# DOMINICVS TVSCVS

Regiensis, Præsbyter Cardinalis S. R. E. Tit. S. Petri in Monte aureo; à Clemente VIII. Summo Pontifice creatus. Vir planè eximius, quippè qui Pontificij, & Cæsarei Iuris Lauream consecutus, cum ad Romanam Curiam accessisset: ibiquè aliquandiu in forenses caussas, ac singularium Consultationes feliciter incubuisset, inter Sacræ Romanæ Rotæ Auditores adscriptus, com plures annos Ecclesiæ diligenter impendit, indequè sibi viam toto Orbe percelebris, ad Cardinalatus apicem communiuit. Admirabili vtiquè memoriâ, singulari promptitudine ingenij, ac animi libertate præditus eandem in dicendis sententijs retinuit purpuratus. Sacro Galero ornatus ità se gessit, vt id esse verissimum faterentur omnes: *Inuictos animos non mutari fortunâ, purpuram, ac togam ciuilem nunquam minui, vel augeri corporis vmbrâ.* In hac enim ille dignitatis amplitudine collocatus ab elucubrandis ingenij monumentis non destitit; quinimò in octo Volumina alphabetica,

ac faciliori methodo vniuersam Iuris Canonici, ac Ciuilis materiam ad modum assertionum congessit. A fœdo assentationis crimine, & hypocrisi longè semper abfuit, ob id vnum non omnium amicitiam nactus. Non luxu, sed conditione ciuili splendidiorem aulam habuit. In Conclaui PAVLI V. dum vnanimi consensu Pontifex ab vniuerso Cardinalium cętu conclamaretur, solus ei Baronius obstitit, obiectâ verborum obscęnitate, quod TVSCO iacturæ BVRGHESIO, summæ fortunæ cessit. *Ad summum quippè fastigij apicem ascensum vel minima prohibent impedimenta.* Nullum tamen turbati animi inde signum præse tulit Tuscus, immò vulgandis in posterùm Voluminibus suis acriori studio intendit, eaquè noui Pontificis Numini dedicauit. Secundâ vsus valetudine, ad annum LXXXX. vsquè vitam perduxit, quam anno CIϽ. IϽC. XX. cum morte commutauit. Sepultus est in Ecclesiâ S. Petri Montorij, adscripto breui huiuscemodi monumento.

DO-

M DC X X.



DOMINICI
CARD. TVSCI
OSSA.

PAV-


PAVLVS GVALDVS VICENTINVS I.C. ET
Archipresbyter Padue

## PAVLVS GVALDVS

EX nobili familiâ de Gualdo ortus, quæ ſub OTHONE Duce Italiam conſedit, Patrem habuit Ioſephum præclariſſimum I. C. cuius veſtigijs inſiſtens humaniores in primis literas coluit, & Vicetiæ ſub optimis Præceptoribus optimis artibus eſt imbutus. Dein Patauium ad audiendas Leges Ciuiles, ac Sacros Canones perdiſcendos miſſus, metam inibi ſtudiorum partâ exoptatâ Laureâ conſignauit. A Patre Eccleſiæ dicatus, Romam progreditur; vbi degens Romanæ Curiæ vniuerſæ carus, aleâ feliciter iactâ, labores ſuos fortunato exitu concluſit. Opimis enim beneficiorum prouentibus locupletatus, Eccleſiæ Patauinæ Archipresbyteratum ſecum inde retulit, fructum ampliſſimæ dignitatis. Patauium itaquè reuerſus cùm ab omnibus perhumaniter exceptus eſt, tùm ab Illuſtriſſimo MARCO CORNELIO Epiſcopo Patauino, Præſulum gloriâ, qui & illi Proantiſtitis prouinciam annis cumplurimis delegauit. Eo GVALDVS in munere, gra-

uitate pariter, & admirabili morum probitate fulsit, clarus hac in primis dote, quòd heroicâ quadam, ac peculiari humanitate satisfaceret omnibus, nec tristi quisquam ab eo vultu discederet. Apud cunctos Italiæ Principes summo in honore habitus, Episcopo suo, MARCO CORNELIO, fidelissimus in vtraque fortunâ fuit. IOANNI quoq; VICENTIO PINELLO, nobilissimo, doctissimoquè viro ità coniunctus extitit, vt & dùm viuerent se se incredibili beneuolentiâ inuicem prosequerentur, & amici defuncti memoriam propagarit GVALDVS. Edidit enim PINELLI cælo redditi vitam, & gesta eleganti stilo, tùm vt tanti Herois virtutes, tùm vt singularem in amicum beneuolentiam suam toto terrarum Orbi monumentis literarum perennibus testaretur. Ætate fessus, etsi valetudine optimâ vteretur, Archipresbyteratus onus ornatissimi Viri IOSEPHI GVALDI I. C. Nepotisquè carissimi humeris iniecit, vt otio pio vitam innocentem clauderet, quod ei planè contigit anno ætatis LXXIII. XVII. Kal. Octobris: salutis autem CIↃ. IↃC. XXI. Sepultus est Patauij in Ecclesiâ Cathedrali.

Amici hoc illum Elogio decorarunt, quod eiusdem Imagini subscriptum legi

PAVLVS GVALDVS

Iuris vtriusquè, ac S. Theologiæ Doctor
humanioribus literis excultus
Vicetiæ natus Patre Iosepho præclarissimo. I. C.
Vir planè ingenuus
Vitæ, ac Morum suauitate, & candore admirabilis
alijs virtutibus omnibus exornatus
summis Europæ Principibus carus
Romæ Sacræ Reip. Patribus
ac ipsi Summo Pont. PAVLO V.
perhumaniter acceptus
a quo
Illustrissimo Patauinorum Canonicorum Collegio
Archipresbyter datus
probè suo muneri satisfecit.

VINCENTI PINELLI

Clarissimi, & Amicissimi Viri Vitam
grauiter, & eleganter scripsit,
quæ
Veræ amicitiæ Imaginem cum eiusdem legibus
repræsentat

Mira in agendis negotijs dexteritate
in peragendis celeritate nituit.
amabilis omnibus
Cuius ergò vel defuncti Imaginem
Mortales omnes
amant, ſuſpiciunt, venerantur

Amici Amico Incomparabili
Amicitiæ ab eo ſanctiſſimè
perpetuo cultæ
Monumentum, & Teſſeram
amoris, & officij titulo
P. P.

## ALEXANDER TERENTIVS

CIuis Patauinus, Iuris vtriusquè Doctor, habitu & vultu moris antiqui, rectâ æstimatione sibi ipsi seuerus, cęteris amabilis, Cathedralis Ecclesiæ Canonicus fuit. Eius vitæ integritas, ac morum sanctitas cum omnibus venerationi esset, Patauini Antistites ipsum non rarò in Vicarium suum adhibuêre. Claruit omnino præclarissimis virtutibus, ac religiosissimis dotibus insignitus, miraquè in perspicuo animi illius candore ingenij quædam simplicitas elucebat. Florescente ætate, luxu, dominatione, opibus, ac mundi illecebris quibuscumque valere iussis, ad animi pij delicias totum se contulit, Ecclesiam studio vehementi rexit, demandatis oneribus libentissime præfuit: inualescente verò diuino totus amore succensus, IOANNI TERENTIO I. C. præclarissimarum virtutum luminibus insignito, Nepoti ex fratre, Canonicatum Patauinum contulit, & ipse in superiorem domus partem, quasi in Eremum, vbi diuinis meditationibus, & orationibus totus intenderet, se se abdidit, curâ omni reliquâ prorsus abie-

ctâ.

ctâ. Hac è cellâ, lachrymis eius perpetuis irrigata, referta gemitibus, ad aures Supremi Numinis pænitentis animi preces, crebraquè suspiria mittebatur, nec egrediebatur inde, nisi cum ad ægros inuisendos, pauperesquè subleuandos, diuino quodam oestro percitus, rapiebatur. Ædes Orbatorum construendas curauit, & in Suburbio S. Crucis Sacris Virginibus ex Capuccinorum Ordine Cœnobium condere cœpit: licetquè annis fessus, & grauis, domo gressus efferre vix posset, frequens tamen eis necessaria quæquè suppeditabat, nec cessabat verbis, & exemplo rudes illarum animos ad Pænitentiam, ad Orationes, ad Mundi contemptum, ad Pietatem omnem sedulus informare. Non alij, quàm de spiritali Contemplatione, de Beatorum gloriâ, de Æternæ vitæ Felicitate, de terrenarum rerum imbecillitate sermones eius erant: actiones verò sanctitatem vndiquè redolebant. Obijt ætatis anno LXXX. salutis CIↃ. IↃC. XX. priuatè in Cathedrali Patauinâ antè S. CAROLI aram, vti mandauerat, collocatus: indequeà gratissimo Nepote IOANNE TERRENTIO splendidum in monumentum translatus, hisce notis adiectis.

ALE-

ALEXANDRO TERENTIO I. C.
CANONICO ANIMI CANDORE
DOCTRINÆ EMINENTIA
LIBERALITATE IN PAVPERES
RELIGIONE PRÆCLARO



IOANNES TERENTIVS I. C.
EIVSDEM BENEFICENTIA IN
CANONICATV SVCCESSOR
PATRVO OPTIME MERITO
M. DC. XXIV.

# ALEXANDER BORROMÆVS

NObilis Patauinus, ex Patre IACOBO ortus à primæuâ ætate in literarum studijs educatus, primum à præclaro Viro BENEDICTO de Benedictis Philosopho & Theologo, Græcas literas didicit: dein ab eodem in Eloquentiâ & Poesi institutus, in his, & in facultatibus reliquis libero homine dignis ità suprà cæteros excelluit, vt eius nomini Præceptor ipse præcepta Rhetorices, quæ typis edere decreuerat, consecrarit. Verum enimuerò cum ALEXANDER omnes industriæ suæ neruos ad virtutis arcem intenderet, Naturalem, & Moralem Philosophiam amplexus, exiguo temporis interuallo, vniuerso adolescentum Patauinorum cætu admirante, orauit publicè, Thesesquè de vtrâque facultate propositas perhonorificè defendit. Nimirum ille, vel iuuenis, singulari virtutis cupiditate flagrabat, nihil erat in eo summissum, populare nihil, sed cum valido temperamento, feraci ingenio, moribus ad pietatem, & religionem eximiè conformatis exornatus esset,

Patriæ,

patriæ, & auitæ nobilitatis decori propagando laboribus suis assidus operam dabat. Nondum expleto anno XXIV. insignia Doctoratus adeptus, tertium Philosophiæ Extraordinariæ explicandæ locum obtinuit, in eâquè prouinciâ FORTVNIVM LICETVM, primum locum tenentem, & MARIVM MAZOLENVM, Viros vtiquè præclarissimos, Collegas habuit. Hîc illum, CAESARIS CREMONINI præceptoris vestigia persequentem, & Aristotelis mentem ex Alexandri placitis illustrantem, facilitate & claritate in dicendo mirâ, eruditione in docendo eximiâ, alacritate, promptitudine, memoriâ in afferendis & explicandis contextibus singulari, Vniuersitas omnis perpetuò admirata est. Mors Fato propera in virentis gloriæ ortu terris abstulit annos natum XXVIII. XII. Kal. Septemb. CIↃ. IↃC. XX. Funus eius ingenti omnium mœrore celebratum est, dixitquè tum de more Adrianus Grandis Iunior, alumnus eius, oratione graui, talesquè versus CREMONINVS præceptor in extinctum discipulum suum cum lachrymis effudit.

 Cedis

CEDIS ALEXANDER CITIVS FATIS,
TVA VIRTVS

VISVRA EST LONGA POSTERI-
TATE DIEM.

DE ME AGITVR, POTERAM POST
FATA MANERE SVPERSTES

PER TE, TV ERGO NON; IN TE EGO
SED MORIOR.



IVLIVS CASSERIVS PLACENTINVS
*medicus, et Anatomicus*

## IVLIVS CASSERIVS

PLacentinus Medicus, & Chirurgus præclariſſimus, cuius ſe cumprimis ſpectandam Fortuna præbet. Humili nempè loco natus, patrijs laribus abactus, Patauium adijt, vbi cum *Aquapendentis* famulatui ſe dediſſet, ex famulo auditor effectus, & ex auditore diſcipulus, feliciſſimis eiuſdem auſpicijs vtriuſq; Medicæ facultatis, Phyſicæ nimirum, & Chirurgiæ laureâ decoratus, demortui demum in locum ſuffectus eſt, applaudentibus Studentium ordinibus vniuerſis. Exigui vir corporis ſtructurâ fuit, ingenio vaſto, prompto ſpiritu, & àd literarum ſtudia mirè propenſo. Facies coloris rubri murice tingebatur. In Anatome corporum ſe cum acriter exercuiſſet, talis in vulneribus, & inſperatæ ſalutis plagis curandis euaſit, vt prætergreſſus Præceptoris gradum, ad ſummum nominis, & fortunæ apicem euolarit. Ætatis anno LX Naturæ legibus ſatisfecit, ſepultus in Eccleſiâ Patrum Eremitarum, memoriâ nullâ. Scripſit

*De Quinque Senſibus.*

*De Vocis, & Auditus Organis Hiſtoriam Anatomicam, varijs Iconibus ære inciſis illuſtratam.*



GEORGIVS RAGVSEVS
PHILOSOPHVS, THEOL. ET ORATOR.

## GEORGIVS RAGVSEVS

PHilosophus, Theologus, & Orator insignis, Ragusi ortum habuit. Vir is colore subnigro, graui vultu, singulari acumine præditus, ingenij nobilitatem magnâ vestium pompâ, & affabili maiestate morum egregiè decorabat. In familiaribus amicorum conuentibus nihil eo gratius, suauius nihil. Clericalibus initiatus Ordinibus, graui benefitiorum prouentu ditatus est à Io: Baptista Milano, Episcopo Bergomate. Eloquentiam summo studio coluit, variâque rerum notitiâ delectatus, post confecta Philosophiæ, & Theologiæ studia, Medicinæ, ac Mathesi se totum addixit. Post hæc Raimundi Lulli artem studiosè euoluit, cumquè in illius adyta penetrasset, in eandem eleganti, ac facili methodo commentatus est, dequè illâ multa palàm ab eo tradita testatur Epistola, quam eâ ipsâ de arte conscripsit. Ducebat GEORGIVS anno CIↃ. IↃC. I. Patauij otia dulcissima studiorum, Canonicisquè secularibus S. Mariæ in Auantio Sacræ Theologiæ mysteria resera-

ſerabat, cùm ad ſecundam Philoſophiæ Ordinariæ cathedram in ipſis publicis Patauinis ſcholis, quadrigentis propoſitis aureis, eleuatur, CAESARIS CREMONINI, Philoſophorum æui noſtri Principis, primâquè docentis in ſede, ſedulus æmulator. Tertiâ Nouembris die, quâ intermiſſa ſtudia repetuntur, Oratione pulcherrimâ Prælectionum ſuarum initium facere conſuerat, iugiq; ſerie, ac tenore in Prælectionibus omnibus, quidquid afferret, id eleganti nitore verborum, ac ornatu loci amplitudine digniſſimo perpolibat, vt palàm Auditores eius omnes, ſe non purum Philoſophum, ſed & Oratorem audire liberè faterentur. Multa ſcripſit, & initio quidem *Peripateticarum Diſputationum* Volumen edidit, DEIPARAE VIRGINI inſcriptum, cuius & exemplar in Oliuetano Templo, thecis argenteis inuolutum, voto obtulit, ſuæ ergà illam teſſeram pietatis. Tractatum inde confecit aduerſus *Cremoninum* de Elementorum formis, in eoquè ſententiam illius ſolidis rationum ponderibus, ac momentis fregit. Scientias adhæc omnes comprehendere conatus.

tus est Epistolarum libris ad amicos datis. Verùm enimuerò, dum, non secus ac Mirandulanus, aduersus diuinatrices artes inuehitur, sequè à præuisâ per astrologicas coniecturas intemperie corporis, ratione & eloquentiâ studet eripere, inani labore fractus, lento quoquè morbo corripitur, quem dum negligit, inopinatè defecit, nullâ scriptâ tabulâ testamenti, Idibus Ianuarij, anni salutaris CIↃ. IↃC. XXII. ætatis suæ XXXXIII. Celebris eius Bibliothecâ, ædisquè peramplæ ornamenta (cum illegitimus ab intestato decessisset) Fisco deuoluta sunt, à quo sub hastâ vnà cum scriptis omnibus venierunt. Corpus humili elatum funere in D. Francisci Ecclesiâ sine honore tumuli conquieuit.

Scripsit

Scripsit

*Disputationum Peripateticarum Volumen Vnum cum responsionibus ad Tractatum Cæsaris Cremonini de formis Elementorum.*

*Epistolarum Mathematicarum, seu de Diuinatione libros II. Parisijs editos à Nicolao Buon* 1623. *quibus accessit eiusdem Disputatio de puero, & puellâ, qui è ruinis extracti reuixisse putantur.*

*Alias Epistolas de Logicâ, & Rhetoricá, & de Scientijs conscriptas adhuc expectamus, &*

*Commentarium in artem Raimundi Lulli M.S.*

*Commentaria in Vniuersam Aristotelis Philosophiam in varios Tomos distributa M.S.*

Vidi prætereà *Commentaria eiusdem* M. S. *in libros sententiarum* penes Adm. Reu. Patrem D. Bonifacivm Fremoldivm Virum vtique præstantissimum, quippè qui superioribus annis Generalatus Congregationis nostræ, quæ Canonicorum Secularium S. Georgij ab Alga nominatur, insignia adeptus ex merito Visitatoris nunc honore fulgens Congregationem eandem longè, latèquè micantibus virtutum suarum radijs illustrat quod nostris in Elogijs Ecclesiasticis clarius elucescet.

# IVLIVS ZABARELLA

PAtricius Patauinus, Comitis IACOBI Zabarellæ præclarissimi Philosophi suprà laudati filius, vir scientijs Mathematicis, ac bonis apprimè literis excultus, florentium annorum vitam felicissimam in otio literario degit: atqui robustior, & vegetior factus defunctâ vxore primâ Laurâ Perhurmiâ maximo libidinis æstu flagrare cœpit, cuius ergò in Gyneceo potiùs, quàm in Museo bonas horas muliebribus blanditijs impendebat. Acerbum ob id neruorum morbum incurrit, quem Medici *Epilesiam* vocant. Pedum itaquè compage quodãmodo dissolutâ quinquennio stratus in lecto iacuit, serenâ tamen ibi semper facie, & hilari vultu de literarum laudibus cum amicis, qui ad eum frequentes vndiquè conuolabant, iocundo ore, & insigni elegantiâ collocutus. Mathematicarum Lecturæ Præfectus in Academiâ Deliâ post ipsius auspicia, morbo subeunte correptus, muneris sui partes obire prohibitus est, donec lubricam tandem vitam piâ morte conclusit,

naturæ

naturæ debito persoluto, ætatis anno LXX. Parentum ignauiâ in Ecclesiâ D. Antonij absquè vllâ memoriâ, quod fatum eius quoquè Pater est passus, terræ redditus, ab Amico huiuscemodi elogium tulit.

IVLIVS ZABARELLA

LITERARVM STVDIOSISSIMVS
ET MATH. ARTIVM SECTATOR
FILIVS COM. IACOBI ZABARELLÆ
PHILOS. DISERTISSIMI
HAC QVIEVIT IN VRNA
DVM SPIRITVS SYDERA PETIIT
QVID ILLI LACHRIMÆ
HOSPES
QVID TIBI QVIDVE ALII.
TVVS FLETVS VT SIT MALVM
MORS NESCIA
IN REBVS QVOD EST FLEBILE
FLENDVM POTIVS
DVM IMPENDET QVAM DVM
TRANSIT

# FRANCISCVS POLA

VEronenſis, Iuriſconſultus præclariſſimus, hiſce ferè temporibus viuere deſijt, poſtquàm magnâ cum laude in Patauinum Lyceum adſcitus Pandectarum lecturam biennio tenuit, immaturâ morte præreptus. Nos eius in funere tale noſtri affectus Elogium ergâ tam inſignem Virum effudimus, quod hic damus, præterea nihil, quod eruditiſſimus Felix Oſius in Academiâ ſuâ Patauinâ, quam accuratiſſimè exornat, rerum ab eo geſtarum breuiarium texuerit luculentum. Sepultus eſt Veronæ in D. Sebaſtiani templo, à Domitio Calderino varijs præconijs exornatus, quæ leguntur paſſim.

VE-

VERONA GENVIT

FRANCISCVS POLAM I. C.

CELEBERRIMVM

FRANCISCVM POLA

VERONAM LITERARVM ORNAMENTIS
REGENVIT ILLVSTRAVIT
CONCIVES E SEPVLCHRIS CALAMO
EXTRAXIT
DEPERDITAMQVE EORVM MEMORIAM
IMMORTALITATE DONAVIT
CARMINA CONSCRIPSIT HEROICA
EPIGRAMMATA SALE
AC FELLE ASPERSA LIBRIS SEX
INVOLVIT
CREBRO DE HONORE CONSVLVIT
SCIENTISSIMVS MORALIVM
PETRODICEAM AD PANDECTAS
ILLVSTRANDAS EXARAVIT
PVBLICVS PANDECTARVM DOCTOR
IN LYCEO PATAVINO MORITVR
ANNO ÆTATIS LVI.
SALVTIS CIↃ. IↃC. XXIV.

RVDVL-



RVDVLPHVS SFORTIA PATAVINVS I.C.
*et Episcopus Polensis*

## RVDVLPHVS SFORTIA

CIuis Patauinus, Episcopus Polæ, ex Patre IO: ANTONIO prudentissimo viro ortus, Sapientiam, & Ingenium Genitoris æquauit. Fratrem habuit BARTHOLOMAEVM, inter æui nostri Medicos per insignem, docentemquè publicè, quam profitetur artem, in Patauinis Scholis, & Bernardinum Sacerdotem, Sacræ Theologiæ Mystam. RODVLPHVS ipse in Philosophorum, & Iuris Consultorum album adscriptus Iurisprudentiam adamauit, in quâ cum plurimùm profecisset, otia patriæ pertesus, commodisquè domesticis valere iussis in ipso ætatis flore Romam profectus est, vt consultationi intenderet, aulæquè Romanæ, & Auditoribus Rotæ, nec non & purpuratis Patribus operam nauaret. Feliciter id auspicatus, gratus omnibus extitit, ac in primis BELLARMINO, & COBELLVCIO Cardinalibus Magnis. Hinc Auditor datus Illustriss. CORSINO Nuntio Pontificio apud Gallorum Regem, Gallias peragrauit. Eo munere summâ diligentiâ fideque per-

perfunctus, vſquè ad obitum Pont. Maximi GREGORII XV. Romam reuerſus ab VRBANO VIII. Epiſcopatus infulâ decoratur, quâ quidem dum ſplendidè enitet, in meridie gloriæ occaſum attigit Albonæ, ſalutis anno CIↃ. IↃC. XXVI. VI. Kal. Septembris anno ætatis ſuæ XXXII. Natus anno CIↃ. IↃXCIIII. Die VIIII. Martij Horâ XVII. Minut. II. Patauij, dum ſibi commiſſam Polæ Diœceſim luſtraret vigilantiſſimus Paſtor, inibiquè oſſa eius quieſcunt, non ſine lachrimis tumulo conſignata.

Sub

Sub eius Imagine hæc leguntur.

RVDVLPHO SFORTIÆ
PATAVINO
IVRISPRVDENTIÆ SOLERTISSIMO
AMATORI
OMNIBVS INGENVIS ARTIBVS
INSTRVCTO
SANCTISSIMIS MORIBVS ET
DOTIBVS EXORNATO
EPISCOPO POLÆ CONSECRATO
CVI GRATISSIMVS EXTITIT
IVLIA PIETAS SVVM AMISSVM
PATREM DOLENS
PONENDVM CVRAVIT
VT SICVTI RVDVLPHVS
VIX EPISCOPATVM INGRESSVS
INTERIIT
ITA HOC MONVMENTO
EIVS NVNQVAM MEMORIA INTERIRET.

## PAVLVS BENIVS

EVgubij ciuilibus parentibus ortus, percelebris nostræ memoriæ Philosophus, Theologus, & Orator, eas artes, quæ ad Humanitatem pertinent præcipuè coluit, optimâ interim, & variâ eruditione præditus: moribus, ac religione, nedum indole, & ingenio clarus. Anno CIↃ. IↃXCVIIII. explicator Humaniorum literarum Riccobono successit in Gymnasio Patauino DC. florenorum honorario proposito accersitus. Eâ in prouinciâ annos XXVI impendit ingenij felicitate mirâ, nullisquè licet continuis laboribus fractus, doctrinæ suæ præstantiam varijs editis lucubrationibus testatus est. Statura ei modica fuit, gracile corpus, & paruum, caputquè intersecantibus venis aliquot lineatum. Potu, ac cibo tenui vtebatur, in sermone lenis, cogitabundo persimilis ac carpenti somnos, itâ tamen aliquandiu ad contentiones, & controuersias literarias à naturâ factus, vt potius disceptator, ac miles, quàm Philosophus, ac Orator haberetur. Edidit ini-

tio librum ex Theologiæ penu *de Auxilijs* eo ferè tempore, quo ea queſtio Romæ à Scholaſticis exagitabatur, hoc titulo: *Quâ tandem ratione dirimi poſſit controuerſia, quæ &c.*: qui ſubinde preſſus eſt, & Auctori moleſtiam ingentem attulit. Poſt hæc aduerſus Academicos Cruſcantes, & Dictionarium Italicum ab ijſdem editum, ANTICRVSCAM condidit, cui cum reſpondiſſent Academici, cumulatè libro ijſdem altero ſub *Caualcantis* nomine ſatisfecit, ſequè à varijs eorundem iurgijs validè adeò vindicauit, vt toto Orbi clariſſimus accerrimuſquè Italici Idiomatis defenſor fuerit acclamatus. Patrocinium dein TORQVATI TASSI aduerſus eorundem calumnias ſuſcepit, & contrà Malacretam ſcripſit. Controuerſias prætereà multas in literariâ palæſtrâ ſuſtinuit, quas omitto. In LIVIVM ſanè noſtrum, Hiſtoriæ Romanæ literatorum omnium conſenſu facilè Principem, & Eloquentiæ latinæ decus, præceps irruiſſe videtur, non veritus crebris eum maledictis laceſſere Lib. II. de lege, & ordine Hiſtoriæ, iure vt admirati fuerint Sapientes, ſanum aliàs caput,

inuidâ procacitate ductum, ingenium suum eò maximè conuertisse, vt hominem doctissimum sugillaret. Affectâ ætate vitâ excessit Patauij rude donatus Lector anno CIƆ. IƆC. XXV. Pridie Idus Februarij, Sepulcro traditus, quod sibi viuens extruxerat in Ecclesiâ Monialium S. Claræ, antè altare Angelo Custodi eius ære dicatum, & ex testamento legato annuo munitum, ad quod Sacrum religionis ergò facere consuerat. Bibliothecam penes Theatinos Patres esse voluit, quos & aliorum bonorum hæredes instituit.

Tumulus huiuscemodi titulo notatus est.

PAVLI

PAVLI BENII
EVGVBINI
EX EXTERORVM
PATAVINI GYMNASII
DOCTORVM
QVOS IVVERIT HOC SAXO
CONDI
ANNO SALVTIS
M. DC. XI.

La-

Latinè edidit.

*Commentarios vberrimos in Aristotelis Poeticam, quibus ad obscura dilucidanda Centum Poeticæ Controuersiæ insertæ sunt.*

*Platonis Poeticam ex eius Dialogis collectam.*

*Commentarios in Aristotelis libros Rhetoricum duobus Tomis explicatos, quibus accesserunt.*

*Centum Oratoriæ Disputationes, seu Rhetoricæ Controuersiæ, & Platonis Rhetorica ex eius monumentis excepta.*

*Commentarios in sex primos P. Virgilij Æneidos libros.*

*Commentarios in Caium Crispum Sallustium.*

*Quinque, & Septuaginta Orationes.*

*De Historia libros IIII.*

*Disputationem de Annalibus Ecclesiasticis Cardinalis Baronij.*

*In Platonis Timæum, siuè Naturalem omnem, atquè Diuinam Philosophiam Decades tres.*

*Disputationem laudatam antè, De Auxilijs, adiecto titulo. Quâ tandem ratione. & alias lucubrationes ad eloquentiam spectantes.*

Italicè

*La Comparatione di Torquato Tasso con Homero, Virgilio, e dell'Ariosto con Homero.*

*Il Commento sopra il* GOFFREDO *di Torquato Taßo.*

*Risposta alle Considerationi del Malacreta sopra il Pastor Fido del Caualier Guerini.*

*Apologia al Scenofilico.*

*Discorsi due della Inondatione del Teuere à Roma l'anno* 1598.

*Il Paragone della lingua Italiana in quattro libri intitolato l'*ANTICRVSCA.

*La difesa del Paragone della lingua Italiana intitolato Il* CAVALCANTI.

*Rime, & Orationi diuerse.*

AN-



ANTONIVS NIGER PATAVINVS
PHILOSOPHVS ET MEDICVS.

# ANTONIVS NIGER

CIuis Patauinus, noſtri æui Medicus nominis non obſcuri inter Mortales vixit. Hic primo aſpectu, depreſſo pileo frontem tegens, tumorem quendam & iactantiam præſeferre videbatur, cum omnis humanitatis re ipsâ cultor in priuatis ſermonibus amicorum animos mirum in modum oblectaret. Ingenij acumini perſpicaci accedente multorum annorum vſu, nomen ingens adeptus in curandis morbis, Collegarum nemini concedebat. Romam profectus à CLEMENTE VIII. Summo Pontifice Equeſtris ordinis inſignibus decoratus, familiam, & patriam honoribus, & diuitijs auxit. In Patrio Gymnaſio per annos XXVI. Auicennam doctè, & dilucidè declarauit. Verùm enimuerò cum Patriæ, Ciuiumq; Comitijs, pluſquàm virum literarum ſtudijs addictum deceret, animum addieciſſet, inuidiæ potius & odij faces, quàm gloriæ & laudis nomini ſuo accendit. Matrimonijs multis implicitus, ſed in ijs parum fortunatus, duabus iam vxoribus paren-

tarat, cum de tertiâ abigendâ cogitans, ob altercationes dotis, diuortium cum vitâ morte propinante conclusit VIII. Kal. Ianuarij anni salutaris CIↃ. IↃC. XXVI. cum ætatis sextum, & sexagesimum attigisset. Sepultus est in Ecclesiâ D. Mariæ Magdalenæ Fratrum D. Hieronymi à Pisis, hisce verbis lapidi monumenti incisis, procurante Hieronymo filio Medicinæ Doctore.

ANTONIO NIGRO
EQVITI
ET CATHARINE MARCELLÆ
HIERONYMVS NIGER.

NI-

# NICOLAVS DE ODDIS

PAtauinus Ciuis, primo ætatis flore ſeculo valere iuſſo, Deo, & literis mancipatus, Congregationis Oliuetanæ clauſtra adamauit, cæteros ſibi coeuos vitâ, & moribus anteiuit. Quamobrem Cœnobijs in omnibus, in quibus egit, virtutis eius lucidiſſimum iubar toto terrarum orbe latiſſimè fulſit. Vir erat politioribus literis, tùm etruſcis, tùm latinis ad inuidiam perornatus, præuijſquè Congregationis ſibi longè cariſſimæ dignitatibus egregiè perfunctus, Abbatiam demum ſortitus eſt, quam annis ferè XXX. ſplendidè rexit. Nihil in eâ adminiſtrandâ candidius, nihil clementius fuit: nec potuit idcircò maleuolentiam aliquandiu declinare. Frugalitate, & expenſis proprijs peramplam Bibliothecam publicæ Cœnobij totius vtilitati conſtruxit, in quâ cum iuuentâ ſenectutem poſuit, vt in delitiarum horto. TORQVATVM TASSVM, Poëtam ſibi ſummâ familiaritate coniunctum, eius aduerſæ fortunæ acriter obluctatus, ab imminentibus periculo-

rum procellis eripere, & in securitatis, & felicitatis portu sistere toto pectore contendit. Viris omnino Principibus gratus, cunctis amabilis extitit, quâ laude clarus obijt anno ætatis LXVI. VII. Idus Februarij post salutem humano generi comparatam CIↃ. IↃC. XXVI. IACOBVS Pighettus Bergomas, Scriptorum eius vtriusquè stili, Epistolarum, & Opusculorum aliquot poeticorum hæres, tali Elogio lachrimantes amicos, pro suo ergà Amicum studio, & pietate, consolatus est.

Siste quæso Viator, ac perlege.

NICOLAVS ODDVS

Oliuetanæ Congregationis Abbas & Parens
hic situs est.
Nobili genere ortus adhuc adolescens terrenas
opes deseruit, vt se ditaret cœlestibus.
Consilio fuit semper Senex,
Innocentia infans.
Monachorum Senatus præcipuas dignitates contulit:
Sapientia magis extulit.
Splendidam Natura mentem indidit,
Splendiora Virtus edidit.
Patauino in Cœnobio Musis Delubrum
Summa cum gloria erexit.
Torquatum Tassum Diuinum illum Poetam
cui intimus fuit, è sæuientis fortunæ
manibus moltoties eripuit.
Verum (eheu.) tantum hunc virum amici
collachrimantes à morte
eripere nequiuerunt.
Quod tamen illi periucundum extitit,
Si quidem mortales reliquit exuuias,
vt immortales indueret.

VIATOR

Tumulum lachrimis decora, & disce
Libitinam posse quidem vitam adimere,
non autem acquisitam Virtute famam.

*Sic amico optimo Iacobus Pighettus Bergomensis
ipso die obitus mœstiss. calamo parentabat.*



ALEXANDER CARRERIVS PATAVINVS
Presbiter, et Iuris Consultus Ætatis Suæ L.

# ALEXANDER CARRERIVS

CIuis benemeritus Paduæ, quam frustrà scriptis summam affectauit fortunam, hanc seueritate morum, & nimiâ dicendi libertate, quâ sine vllo discrimine Viros Principes, & amicos impeteret, nancisci conatus est. Sacerdotalem dignitatem adeptus, Ecclesiæ S. Andreæ aliquandiu constanti pietatis obseruantiâ in Deum, & Pauperes præfuit. Eo ipso tempore oblatam sibi Iuris interpretandi prouinciam in Gymnasio patrio toto pectore renuit, quò liberius literarum studijs, sibiquè commissio Gregi vacare posset. Tandem, laborum pondere pressus, animarum curam alteri demandauit, patrijsquè conscribendis Historijs se totum dedit. Dabat nihilomninus tùm etiam operam Studiosorum consuetudini, & in Academiarum spatijs sese validè exercebat. Siquidem in Animosorum Academiâ Disceptationes multas, doctas, disertas, grauesquè habuit, quarum duæ, nempè *De Somnijs, ac de Diuinatione* vna, & *An possint arte simplicia, veraquè metalla gigni*

altera

altera, luci datæ, literatorum animos ad hanc vſquè diem mirè afficiunt, ac demulcent. Multa præthereà fœcundi ingenij ſui monumenta edidit, ac in primis *De Poteſtate Summi Pontificis Libros II.* qui typis excuſi, cum à Politicis parùm admodum probarentur, à Principibus nihil, obtrectationibus expoſiti Apologias aliquot à Iacobo Gretſero, & Adamo Scherdio reportarunt, quibus ille tamen celeri, quâ erat doctrinæ præſtantiâ, calamo ſatisfecit, licet hoc ſcriptum in priuatis tantum amicorum Bibliothecis extet.

Scripſit adhæc Latinè.

*De Sponſalibus, & Matrimonio libros V qui, & ſeorſim, & inter volumina Tractatuum legalium impreſſi ſunt, Tom. IX. fol. 61.*

*Defenſionem pro libris ſuis de Sponſalibus, & Matrimonio aduerſus Polidorum Sturnium.*

*Reſponſionem Apologeticam pro Borthólomæo fratre ad obiecta Marci Antonij Peregrini.*

*De Geſtis Patauinorum libros X. nondum editos.*

*Tractatus etiam aliquot de Iniurijs, ac eorum remedijs apud Hæredes latent.*

Italicè

Italicè literis consignauit

*Vn Discorso soura l'opera di Dante.*

*Palinodia, nella quale si dimostra l'Eccellenza dell'opera di Dante.*

*Apologia contra le imputationi di Belisario Bulgarini Senese.*

Ei quoquè tribuitur Historia Henrici Calderij, & Thebaldi Cortelerij opus, quod præclarissimis Viris, Abbati ALBERTINO BARISONO, & FELICI OSIO probandum relinquimus in legitimis Historicis Patauinis, quos sub auspicijs Illustrissimi, & Excellentissimi Reipublicæ Venetæ Senatoris DOMINICI MOLINI, obliteratæ veterum Scriptorum memoriæ Restitutoris, recensitos defœcatos, & illustratos euulgant. Litibus tandem, & controuersijs implicitam vltimam senectutem traxit, domesticisquè rebus intentus, octogenario propior apopleticus interijt. Priuatum funus defunctum ad Ecclesiam D. Andreæ Patauij duxit, vbi conditus in Sepulchro à se ipso constructo iacuit, hac Inscriptione superstes.

ALEXANDRVM CARRERIVM
I. C. COLLEGII DECANVM
HVIVS ÆDIS OLIM PRÆPOSITVM
LITERATVRA AC SCRIPTIS NON
IGNOTVM
NVLLO AGNATIONIS SVPERSTITE
LIETA MONTAGNANA NEPTIS
MOESTISSIMA
SEPELIVIT
OBIIT ANNO CIↃ. IↃC. XXVI.
DIE XX. AVGVSTI.
ÆTATIS SVÆ LXXVIII.

Extat altera eiuſdem memoria in Eccleſiâ D. Iacobi Ciuitatis noſtræ ob reſtitutum neſcio quod Sepulchrum Carreriæ gentis.

FAMILIAM CARRERIAM
LONGA AVORVM SERIE TOGA,
SAGOQVE
CIVITATI PERSPECTAM
ALEXANDER PRESBYTER
IVRISCONSVLTVS CLAVSIT
CVIVS ETIAM CVRA HOC
SEPVLCHRVM
EXVIT VETVSTATEM
M. DC. XXV.





SCHINELLA C. DE COMITIBVS PATAVINVS
*Phíæ, ac Theologiæ doctor*

# C. SCHINELLA COMITIVS

PAtauinus patritius, geminâ Philoſophiæ, & Theologiæ laureâ decoratus SPERONIO Proauo, vultu, ac moribus perquàm ſimilis fuit, ſed doctrinâ ſimilior, quâ nominis ſui famam longè, latèquè diffudit: etſi acuti vir ingenij, nec non & ſpiritus vehementis æquè in militari, ac literariâ paleſtrâ ſe ſe exercuerit, & paria fecerit in vtrâquè. Primo iuuentæ flore, in patrio Lyceo Naturalis Philoſophiæ cathedram, ſilente Iacobo Pernumiâ, ſummâ cum laude, miroquè audientium concurſu tenuit: vnde profectus Romam, multam inibi Sacris Romanæ aulæ Proceribus ſuis impenſis operam, & obſequium detulit, renuitque non ſemel ſacras infulas niueâ ſolâ libertate contentus, & alienus à faſtu. Reuerſus in Patriam feudalia familiæ ſuæ Iura, quâ litibus irretita, quâ temporum iniuriâ ſilentio obruta, laboribus improbis, aſſiduiſquè vigilijs, voluminibus duobus ità digeſſit, vt non tam ipſe lares proprios locupletiores, ac clariores reddiderit, quàm poſte-

posteris, ad illustriorem fortunam sibi deinceps parandam, ampliorem aditũ patefecerit. Priuatis ab eo cõmodis reparatis successit studium decoris Patriæ, quod & illi viuenti, videntiquè felicissimè cessit. Cùm enim Ciuium Comitia, vi, & ambitu turbarentur, populiquè quisquiliæ in lectum Nobilium Cœtum adsciscerentur, iustâ indignatione commotus, Clarum quemquè ciuem pristino nitori restituere, præuio acri nobilitatis examine, contendit: & quod proprio ingenio, ac solertiâ aliquot annorum spatio validè pertentarat, tandem à Serenis. Republicâ Venetâ impetrauit. Meliorem vtiquè Comitiorum Patriæ suæ formam antè occasum vidit. Siquidem eo viuis immaturâ morte prærepto; gliscentibus malis artibus, laudabiles conatus eius magnâ ex parte irriti corruerunt. Venienti fato succubuit anno CIↃ. IↃ C. XXVII. VI. Kal. Augusti, ætatis suæ XXXXXV. Natus ille nempè fuerat anno CIↃ. CIↃ. LXXII. Augusti D. XXX. H. VIII. M. XXXVIII. noctis proximè consequentis, in Patauinâ Vrbe.

Effi-

Effigies excepta est ex originali optimo, quod spectatur in Musæo Præclarissimi Viri C. Speroni de Comitibus, Abbatis, & Canonici Patauini, sub quo talia leguntur.

A

SCHINELLA COM. DE COM. PAD.
ALBER. FIL. PHILOSOPH:
ET THEOLOGIÆ DOCTOR
INGENIO VIVIDO
ERGA AMICOS
ET SVOS ET PATRIAM
OFFICIO PIETATE ET OPERA
INSIGNIS
OBIIT XI. KAL. SEPTEMBRIS
M. DC. XXVII. ÆTATIS SVÆ LV.

DE

# ANTONIVS LEO ET ARSENIVS MERIVS I. C.

ANTONIVS LEO Nobilis Patauinus, Iurisconsultus, & Caussarum actor, earum in primis, quas Criminales vocant, mihi neutiquàm prætereundus saltem hac extremâ in paginâ, cui nomen illius; & ARSENII MERII, Iuris æquè cultoris, & humanarum literarum cognitione præstantis inscribo. Ambo cessere terris anno CIↃ. IↃC. XXI. ætate æquales, dispares moribus, & affectu. ANTONIVS enim nobiliores, & acriores spiritus ab ipsâ Naturâ nactus, gloriæque cupidior, vehementius in defendendis reis, pijsquè causis tuendis elaborauit. Fuit, & hilari vultu, eâquè animi serenitate, eo splendore fulgebat, vt plerìquè ciuium in eum oculos intenderent, ipsumquè in maximum aliquando Iurisconsultum euasurum vnanimes conclamarent. Sed heu repentinâ febri correptus spem omnium fregit, terris ereptus anno ætatis XXXVIII. Kalendis ipsis Ianuarij anni

ni ſalutaris CIↃ. IↃC. XXI. è contrà

